

# PALAESTRA

# LATINA



ANN. XL (Fasc. II) — N. 210  
M. JUNIO — A. MCMLXX

# P A L A E S T R A   L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller; *C. M. F. Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.  
*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.  
*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>o</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

## I N D E X

ANN. XL (Fasc. II) — N. 210

M. JUNIO — A. MCMLXX

J. M. MIR, C. M. F., <i>De Rvmo. Dno. Hamleto Tondini epistula ad Moderatorem</i> ...	49
A. GRISART, <i>De viis ac rationibus quibus aetas puerilis per linguam et scriptores latinos ad humanitatem informanda est vel oratio adversus vias novas linguae latinae in scholis mediis descendae et tradendae</i> ...	53
F. ALOISE, <i>Carmina</i> ...	63
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i> ...	71
N. MANGEOT, S. J., « <i>Inquietum est cor nostrum</i> » (narratio) ...	79
D. LEPOUTRE, <i>Horis subsicivis</i> ...	83
BIBLIOGRAPHIA, M. Molina, C. M. F. ...	87

# P A L A E S T R A   L A T I N A

L I T T E R A R U M   L A T I N A R U M   C O M M E N T A R I I

A   S O C I I S   C L A R E T I A N I S   E D I T I

---

ANN. XL (FASC. II) — N. 210

M. JUNIO

A. MCMLXX

---

## DE REVMO. DNO. HAMLETO TONDINI EPISTULA AD MODERATOREM

Jos. M. Mir, C. M. F., P. Mariano Molinae sal. pl.

Jam diu a me exspectas ut, quae de egregio viro Hamleto Tondini me scriptum promisi —de ejus morte deque ejus praeclara vita— tandem exsequar. In mora, equidem confiteor, sum; sed promissa tandem libens praesto.

Die undecimo mensis novemboris superioris anni 1969, primo mane, in telephonum celeriter advocor. «Funestus sane nuntius!: Rvdmus. Dnus. Hamletus Tondini hac nocte, vicesima tertia et semihora e nostra terra in caelestem vocatus est patriam»: haec fere Revmi. Dni. R. Marsiglio verba. Hoc audito nuntio corde expavi —tota etiam civitas Vaticana, ut deinde intellexi, commota est—.

Nesciebam ego quid Hamleto Tondinio hoc anno accidisset; cum autem quodam die ab eo postulassem per telephonum quo modo se haberet et quo loco ferias superioris aestatis habuisse: «Ah, o bone», respondit, «nescis me multos dies aegrotasse?, neque optima adhuc fruor valetudine cum cor haud recte procedat»..., et alia addidit. — Deinde saepe volui mense decembri eum convenire ut de nostris rebus colloqueremur ac de ejus valetudine aliquid compertrum haberem certius; extremo autem m. novembri, nisi fallor, in telephonum me accivit ut de existimatione quorundam librorum vulganda in *Latinitate* a me exquireret. Neque amplius ab eo quicquam novi; sed tristis tantum allatus est nuntius de ejus morte; quo accepto, vespere ejus corpus extrellum vidi ac pie vale dixi; insequenti vero die ad sacra officia Deo et animae ejus praestanda reverenti ac memori animo praesens adfui.

Nunc autem si vitae cursum, virtutes et litteras, honores et munera tanti viri a me petis ut enarrem, paucis me absolvam; aliud enim hoc epistulae genus non patitur.

Hamletus Tondini m. septembri a. 1899, Villae Sti. Bartholomaei in provincia Ravennate, patre Augustino et matre Rosa Cicognani natus est. Primum scholas Seminarii dioecesani ac deinde Majoris Lateranensis frequentavit; anno 1923 sacerdotio auctus, Romae in Philosophia, in Theologia, in utroque Jure doctor est renuntiatus. Cumque aliquot annos ministerium sacerdotale in dioecesi exercuisset, denuo Romam, anno 1930, accitus est ut, in Consilio publicis Ecclesiae negotiis administrandis, officialis operam suam praestaret: quae fuit porta ut in ampliora Curiae Romanae induceretur officia. Nam eximio ornatus ingenio ad diversa munera obeunda semper promptus et animo paratus erat; munera vero multiplicita fuerunt, in iis praecipua: Praelatus Referendarius tribunalis Signaturae Apostolicae, Cappellanus Custodiae Palatinae honorariae, Regens Cancelleriam Apostolicam; et anno 1960, in locum Em. Cardinalis A. Bacci sufficitur et ab Epistulis ad Principes renuntiatur. Haec autem et alia officia summa fide, ardentis studio, intima pietate semper exsecutus est; cuius rei testimonium et apud cives urbis Vaticanae et apud amicos ubique invenies; de qua re et ego conscius et testis sum.

Quod si ad studia litterarum, in primis latinarum, animum nostrum convertimus, tibi planum compertumque est, optime Moderator, Hamletum Tondinium inter omnes viros doctos qui linguam latinam colunt praestantissimum fuisse: ipse enim, cum Card. A. Bacci praeside, conditor ac moderator fuit LATINITATIS: in his autem commentariis moderandis summa prudentia usus, multa edidit scripta ad linguam latinam fovendam, restituendam, propagandam; multa quibus et animus ejus benignus ostenditur et mens versatilis et humanitatis plena comprobatur. Quam plurima —quae in «Actis Apostolicae Sedis» describuntur, aut quae a Summo Pontifice scripta aut ab eo coram immenso hominum coetu, per televisionem, aut coram paucis auditoribus enuntiata sunt—, hujus manu conscripta sunt ab eoque diligentissime praeparata.

Impenso ardens studio in linguam latinam —vestigia secutus Instituti Studiorum Romanorum— *Certamen Vaticanum* quotannis indicendum curavit ut et qui excellentiores essent ingenio vires in certamine sponte sua exercent, et qui demisso essent animo aut juventute florerent, proposito praemio, in pugnam et victoriam excitarentur.

At in ejus scriptis genus est in quo amplissime H. Tondinius regnat, id est in *inscriptionibus* pangendis. Neque tamen negabo alios esse egregios viros qui hac disciplina et arte merito praestent. Tu illos bene nosti. Sed novum ac singulare plane genus inscriptionum coluit: nam non eas tantum exaravit quae ad historiam et ad res gestas spectant, sed in primis summa arte digessit eas quibus intimi animi sensus expromuntur. Nam quae in natura, in rebus cottidianis eveniunt, quae videntur aut audiuntur aut animo percipi-

piuntur lepidis, concinnis, venustis verbis digerit, ornat, exprimit. Pauca si profero exempla, tu veniam dabis praesertim cum eos, qui paginas *Palaestrae Latinae* evolvent, magnam sciamus ex his voluptatem esse percepturos:

*Avis ad aviculam*<sup>1</sup>.

TE NIDVLO  
ALIS TE CONTINE MATRIS  
IMPLVMIS AVICVLA  
FORIS TE PRAEDATOR MANET  
ACCIPITER

*Ad portulam aediculae Sacramenti augusti*<sup>2</sup>.

PATESCE  
OBSECRO PATESCE  
AVRO FLAVENS OSTIOLVM  
MEVM MIHI FAC CAELVM OSTENDAS  
MEA SINE TIBI SPLENDEAT  
BEATITAS

*Mariae Virginis obsequium*<sup>3</sup>.

VETANT IMBRES HODIE  
NE IN DEVIAM ISTAM AEDICVLAM  
VT CONSVEVI PRATI GEMMVLAS  
TIBI DEFERAM MARIA  
SED NE SVSPIRIA ET OSCVLA MITTAM  
QVID MARIA VETAT

*Navicula ad vectorem*<sup>4</sup>.

VT FRAGILIS EGO  
DVBIVM INSIDIOSVMQVE ITER ELVCTOR  
SIC TV VECTOR  
EX ARDVIS VITAE SCOPVLIS  
ENAVIGES

Extremum legas velim epigramma<sup>5</sup> quod morti proximus com-

1. *Rerum scintillulae*, Torino [SEI], pag. 9; *Inscriptiones latinae*, p. 18.

2. *Rerum scintillulae*, p. 17; *Inscriptiones lat.*, p. 55.

3. *Rivulis canentibus*, Torino [SEI], p. 16.

4. *Inscriptiones latinae*, p. 51.

5. *Latinitas*, 1970 (18)6.

posuit in Beatam Virginem Mariam, cuius erat amore filiali verus cultor:

TOTIES IN DIE TIBI  
 MARIA SPES CERTISSIMA MORTALIVM  
 AFGER ITERANDO PRONVNTIO AVE  
 VT FERE QVANDOQVE MIHI FATIGETVR LABIVM  
 AT ID MIHI PERSVASISSIMVM HABEO  
 IIOC TIBI NVLLO TEMPORE PIAS OBTVNDI AVRES  
 HOC TIBI NVMQVAM NON MOVERI  
 AD MISERICORDIAM ANIMVM

Inscriptiones autem omnes quae clarissimis viris, sacris locis, amicis obsequii causa miserat aut quibus intima ejus animi sensa exprimebantur, amplio comprehensa volumine, anno 1968 iterum vulgavit: quod monumentum litterarum latinarum perpetuo exstabit.

Calatum ab scribendo paene retrahebam ut finem facerem epistulae. Attamen, sentio aliquid te a me desiderare et exspectare... Rem tamen haud facilem exponendi poscis, cum praestantissimus in causa sit vir, isque scribendi latine peritissimus, omnium ore concelebratus. Cum autem res non arcana et recondita sit, sed omnibus aperta et perspicua, sententiam meam tibi ac *Palaestram* legentibus sincere aperiam. Revmus. D. H. Tondinius non tantum ingenii virtutibus eminebat sed et dicendi copia et facilitate latine scribendi: qui orationem suam ex Tulliana norma, verbis praeceptisque fere sumebat eisque conformabatur, classicorum integritatem semper insequens, eaque sermonis majestate servata qua Romana lingua —ut ait Seneca— se magis circumspicit. Quo factum est ut ejus dicendi genus interdum multis aut impervium aut sublimius aut putidisculum —haec nostra aetate, cum et temporum et rerum adjuncta consideranda sint— haberetur. Reverentissimus autem scriptor existimabat se tueri debere non tantum linguam latinam, sed et ejus romanam integritatem; quare omnia antiquis verbis exprimenda censebat: qua norma ipse tenebatur in *Latinitate* paranda et scriptores in eam inducebat. Attamen his extremis annis non nihil a sententia recessisse visus est, cum quasdam procudisset voces antiquis auctoribus insolentes.

Haec habui quae cursim de amico nostro H. Tondinio tecum communicarem, cuius mors non tantum omnibus latinitatis cultoribus lugenda est, sed vere comploranda quod et strenuum linguae latinae defensorem amisimus, et eximum in scribendo magistrum, et sagacissimum in *Latinitate* paranda Moderatorem.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor  
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197 ROMA

# DE VIIS AC RATIONIBUS QUIBUS AETAS PUERILIS PER LINGUAM ET SCRIPTORES LATINOS AD HUMANITATEM INFORMAN- DA EST VEL ORATIO ADVERSUS VIAS NOVAS LINGuae LATINAe IN SCHOLIS MEDIIS DISCENDAE ET TRADENDAE

(Quae oratio superiore n. 209 incepta hic finitur)

Praeterea illud studium quo pueri, antequam didicerunt, vel ob voluptatem vel propter cupiditatem rerum novarum permulcentur et alliciuntur nimis fugax, parum efficax, semper mutabile, singulis diversum esse constat; hoc autem studium quod ex ipsis studiis et ex cognitionum conscientia gignitur permanet et vere ad humanitatem informat.

Denique, si re vera id *maxime* refert quod pueros antea delectat et ipsi ad se pertinere et sui ipsorum interesse putant, quo jure viarum novarum fautores adulescentulis 17 vel 18 annorum proponere audent orationes adversus Antonium vel pro Ligario, Aeneae errores, Neronis scelera, cum sciant unumquemque discipulorum suorum hoc potissimum sciendi vel potius agendi cupidissimum esse et aetate et natura, quibus modis cum puella quadam animo et corpore conjungi possit amore quam celeriter et quam optime? Si id «maxime» refert quod adulescentulos «interest», nonne de iis rebus et modis adulescentuli grammatico vel rhetori docendi sunt? Re vera id quod «ad pueros pertinet» non est id quod «eos ante studia allicit», sed id quod «eorum post studia intererit», non puerorum voluptas, sed virorum virtutes: itaque, ut homini in vita plerumque non id faciendum est quod amat, sed id amandum est quod facit, sic puero in schola potissimum ne id liceat quod libet, sed id libeat quod licet atque etiam quod oportet: ideo non ludendo sed laborando praepareatur ad laborem! «Latinum per laetitiam» et «Graecum sine lacrimis», etiamsi fieri possent, non tamen optanda essent: non ex voluptate studium petendum est, sed e labore perfecto voluptas capitur non solum a doctissimo quoque, sed etiam a discipulis vel mediocribus.,

dummodo, ut per se ipsos laborarent, exerceri coepti sint; «non scholae sed vitae discendum est»<sup>1</sup>.

Viarum novarum fautores suas ipsorum vias «activas» dicunt, velut si viae ac rationes a majoribus traditae «passivae» essent; at sic loquendo corporis vel vocis agitationem cum mentis actione confundunt: nam verae «viae activae» sunt «viae socratae», quibus magister et discipuli, dialogo quidem et simul quaerentes, sed ordine et ratione inquirentes, «verba et locutiones et sententias dissolvunt, effodiunt, persecant eo consilio, ut cogitationes et res ipsas sub verbis latentes penitus comprehendant», donec «veras definitiones», ut Socrates, vel «aptissimas conversiones», ut discipuli nostri, tandem inveniant, id est ratiocinando et inducendo, id est per analysin et synthesin, quales supra descripsi<sup>2</sup>, non per intuitionem et excludendo quam plurimum translationem.

Has vias ac rationes a majoribus traditas, quibus linguae antiquae non potissimum tanquam fines ipsi tradendi et studendi discuntur sed maxime tanquam modi et instrumenta ad virtutes generales conquirendas, id est tanquam disciplinae potius quam sermones vel doctrinae, libenter appellaverim *animi artem gymnasticam*. Haec sane vocabula et ipsa argumenta plerisque linguarum antiquarum non solum inimicis sed etiam cultoribus, praesertim viarum novarum fautoribus, hodie *vetustate perempta* esse videntur, mihi autem praesidium solidissimum et ars optima atque etiam maxime efficax non solum ad defendendas et illustrandas, verum etiam ad discendas et

1. De vero «studio», quod non ante studia concipitur, sed post studia et ex ipsis studiis gignitur, audite ipsum Ciceronem. In libro *De finibus bonorum et malorum* (IV, XIX, 50-51) hoc scribit, quod nullo modo recuso: «Necessere est in ipsis rebus quae discuntur et cognoscuntur invitamenta inesse quibus ad discendum cognoscendumque moveamur»; sed antea de Epicureis, qui omnia ad voluptatem et ad commoda referebant, sic dixerat: «Ii qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia non intellegunt idcirco ea propter se expetenda esse, quod, nulla utilitate obiecta, delectentur animi atque ipsa scientia, etiamsi incommodatura sit, gaudeant» et paulo post (XX, 57) de iis qui totos se ad studia doctrinae conferunt addit: «qua in vita tantum abest ut voluptates consequentur etiam curas, sollicitudines, vigilias perforunt... et *ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes nec fugientes laborem*»; antea quoque (XVIII, 48) jam scripserat: «Qui ingenii studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos, et cum maximis curis et laboribus compensare *eam quam ex dicendo capiant voluptatem*».

2. De ea re confer etiam ea quae exposui in Actis primi Conventus Vitae Latinae, 1956, p. 21.

tradendas linguas antiquas: nam ea demum «animi arte gymnastica» maxime et praecipue valent non solum linguae antiquae, verum etiam ipsae scientiae mathematicae et naturales, si quidem omnes eae disciplinae in scholis mediis adhibentur non ad doctores aliquot edocendos qui postea easdem disciplinas novis discipulis tradent, sed ad cunctos adulescentulos «humaniores» faciendos, quaecumque munera exercituri sunt in vita.

Ergo conclamant viarum novarum fautores suas vias maxime «hodiernas» esse, veteres autem vias «vetustate peremptas». At contrarium verum est: nam viae a majoribus traditae nostris temporibus aptissimae sunt, novae autem viae re vera vetustiores. Primo enim viae quae cum ironia quadam «veteres» dicuntur re vera «novissimae» sunt, si quidem hodie et vigent et florent et quam maximo successu coluntur *in ludis corporalibus*: exempli gratia adulescentes et adulescentuli qui pugillatu vel birota vel follem pede pulsando prosperius quam ceteri certant quomodo a moderatoribus peritissimis et clarissimis informantur? Non diutissime et maxime in ludo suo speciali se exercendo, sed diutius et praesertim et prius et potius in exercitationibus quae omnino alienae sunt ludo speciali et proximae sunt ei ipsi arti gymnasticae, qualis in scholis primariis et mediis antea exculta est, eo consilio, ut diutius, celerius, sollertia postea artem suam specialem exerceant, sive currunt sive feriunt pugnis aut pedibus, id est demum exercendo *virtutes generales* cum corporis tum animi. Quod tam prospere cedit in ludis quae ad corpora exercenda pertinent, id cur non aeque efficax putatur ad animos exercendos? In scholis primis et mediis ars gymnastica optimo jure appellatur «educatio physica»: cur non animi quoque exercitatio eodem jure vocatur «educatio intellectualis et moralis»? Utraque enim puer e pueritia ad aetatem adultam educitur et educatur. Ergo id jam demonstratum est, vias a majoribus traditas non cum ironia quadam «veteres» appellandas esse, at novissimas et «hodiernissimas», si ita dicere ausim, quia semper et ubique verae et aptissimae sunt ad pueros humaniores faciendos.

Deinde viae quae novae et hodiernae dicuntur et celebrantur re vera vetustiores aliquo modo haberi possunt: jam enim abhinc quinquaginta annos earum consilia et fines petebantur, quo tempore linguis antiquas ipse discere incipiebam in collegio quodam provinciali parvae urbis prope Leodium; at petebantur a professoribus qui nullam paedagogiam neque novam neque veterem praesertim linguarum antiquarum didicerant neque exercuerant, id est ab adulescen-

tibus sacerdotibus, qui, exspectantes dum parochiae alicuius vicarii fierent, pueros de linguis et hodiernis et antiquis edocere jussi erant a superioribus: itaque sermones antiquos eodem consilio et eodem more nobis tradebant ac suum patrum sermonem, qui plerumque germanicus erat, id est ut eos sermones «legere, scribere, audire, dicere recte et facile» possimus, identidem ut volunt hodie fautores viarum quas novissimas declarant<sup>3</sup>.

«Paedagogia nova» saeculi nostri, praesertim cum se jactat nominibus insignibus «paedagogiae individualis», «paedagogiae pueri regis», «educationis functionalis», «humanismi differentialis», ex libro quodam Johannis Jacobi Rousseau orta est, qui inscribitur «Aemilius». Scriptor enim ille clarissimus inter alias fabulas paedagogiam per occasionem attingit: in hoc libro fingit se ipsum praceptorum unicum, omnium rerum cupidissimum et eruditissimum, magistrum factum esse discipuli unici, curiositate universa et ingenio maximo praediti; re vera auctor ipse libri neque umquam magistri ludi vel grammatici vel rhetoris partes sustinuerat in schola quaquam neque artem docendi didicerat neque doctrinam ipsam suam in clasibus ullis expertus est.

Quem tamen «paedagogum» nostri hodierni fideliter et serviliter ad verbum ita insectantur ut vias ex eo deductas nobis imponi jubent, qui et paedagogiam generalem et artem docendi didicimus praesertim linguarum antiquarum et magistri esse cogimur non unici, sed diversi, discipulorum nimis multorum et diversorum originibus, gustibus, facultatibus, atque ut paedagogiam «individualem»

3. Quorum quidem adulescentium qui ex tempore et per occasionem vel casu professores facti erant multi excellentes doctores se praebuerunt, quia eis cultura humana profunda erat; deinde mihi quidem multum profuerunt, quia postea grammaticus Latinus et Graecus factus sum, sed, ut jam dixi, non idcirco pueri cuncti de sermonibus antiquis (neque etiam hodiernis) edocendi sunt, ut eorundem sermonum doctores fiant; denique sermones antiquos et hodiernos viis a majoribus traditis tradebant, id est analysi et grammatica et conversionibus: nam vias «hodiernissimae» ne ad hodiernos quidem sermones inventae erant; sed iis idem consilium erat atque viarum novarum fautoribus, idem error de finibus, etiamsi nondum de viis ac rationibus. Viarum autem novarum fautores, cum vias ac rationes sermonum hodiernorum in antiquis quoque linguis exercendis usurpari jubent et cultum Romanum virtutibus humanis preeponunt, argumenta saepe proferunt eadem atque adversarii linguac et cultus Romani et Graeci, non eodem sane consilio, quoniam isti penitus evertere, hi melius colere cupiunt sermones antiquos; periculum tamen magnum manet ne arma hostibus communibus tradant, eorundem errorum partem capientes: «intus, intus, inquam, est equus Trojanus», ut exclamat Cicero in oratione pro Murena (XXXVII, 78), de aliis certe hostibus rerum Romanarum.

laudent in classibus triginta, quadraginta, quinquaginta puerorum; paedagogiae vero novae, etsi sub nominibus praestantissimis apparent et ab auctoribus celeberrimis celebrantur et exponuntur, sicut ipsa paedagogia magistri communis illorum, J. J. Rousseau, in nubibus aedificatae sunt: nam «sapientes» illi qui eas invenerunt, novitati potius quam veritati studentes, scientias et artes nimis multas et diversas attigerunt et sic tantum summatim et in abstracto coluerunt neque pueros veros docuerunt neque paedagogiam suam in classibus primis et mediis experti sunt; deinde plerumque ab iis cupidissime fotae sunt qui, gradum superiorem spectantes, potentioribus blanditi sunt, superba inscitia praestantibus, qui ipsi numquam vel parum in classibus docuerant.

Praesertim autem ista paedagogia quae se ipsa appellat et predicat «paedagogiam pueri regis» mihi errare et obesse videtur: nam eo nomine ita se jactat velut si hoc munus justitiae restituendae ei datum esset, ut «puerum servum» liberaret a magistris ludi et grammaticis et rhetoribus qui e magistris domini et tyrannici domini facti essent. Id certe interdum factum est (plagosus Orbilius testis clarissimus extat), sed remedium ipsum pejus est quam malum: nam puer, ut non servus, ita non rex habendus est nec familiae nec scholae nec societatis nec civitatis, at futurus adultus, qui prudenter et gradatim per adulescentulum e pueritia ad humanitatem educendus vel potius educandus est; puero autem, ut praecclare antiquus scriptor versu nimis usitato dixit, maxima debetur reverentia: in eum igitur puerum, ut non saeviendum, ita non blandiendum est; pueri praeterea, si ad id assueti sunt quod eos maxime delectat et allicit, semper jucundiora utilioribus praeponent et, si eis ut dominis oboeditur, quemadmodum nimis saepe fieri solet a matribus et a sophistis, qui sub nomine insigni paedagogorum vaticinantur, quomodo non semper in vita experte ut sibi omnes serviant? Non jam est haec paedagogia, sed demagogia.

*Viarum nouarum* postquam argumenta inspeximus, requiramus nunc *effectus*. Abhinc autem annos mox tredecim, quo ipso tempore primus Conventus Vitae Latinae Aennione habebatur, viae novae in patria mea imponi coptae sunt ab ipsis linguarum antiquarum inspectoribus; post deinde tres annos primi discipuli qui per eas vias novas laborare vel ludere adsuefacti erant scriptores rerum et poetas et oratores et philosophos latinos adierunt: ita per decem jam annos comparatio institui potuit inter pueros illos qui veteres vias secuti erant et hos qui novas coluerunt. Quantum mutati ab

illis... «miseris»! Non tamen in melius, at in pejus. Nam primo plurimi, etiam optimi, cum e scholis mediis exeunt, nihil prope latine sciunt: non solum nec linguae nec litterarum nec rerum romana- rum quicquam serium neverunt, sed ne facilem quidem locum quemlibet vel Ciceronis per se ipsos legere, intellegere, convertere, expla- nare queunt et plerosque Tacitus atque etiam Livius, immo Sallustius nec non Caesar in angoribus tenet, Horatii vero *Carmina* me- lioribus, *Epistulae* deterioribus, quin etiam *Sermones* intoleranda tormenta videntur; plurimi, etiam optimi, in ultimo anno haec vocabula quotidie confundunt vel plane ignorant: «hic, iste, ille, is, ipse, idem, item, ita, itaque, tandem, tamen, enim; quidem, quidam, quisquam, quisque, quisquis»; permultis distinctio non solum vocabulorum sed etiam sensuum inter genetivos possessivum, subiecti- vum, obiectivum, partitivum ceterosque mysteria et monstra appar- ent et «a fortiori» viginti fere ablativi et totidem fere dativi; nihil dico de conjunctionibus: «ut, ne, cum, dum, quod, quam, quin».

Deinde, quod multo gravius est, quia hic maximus fructus futu- rus esse praedicabatur viarum novarum, nihil «eorum interest», nihil «ad eos pertinet», nihil «eos allicit» rerum romanarum etiam quas magister eorum alliciendorum causa religiose elegerat: nam nihil quaerunt a magistro, nihil a libris; nullum rerum romanarum, nullum humanarum studium, nulla laborandi ratio, nulla cuiusvis rei curiositas: memoria sane tenent aliquot tantum conversiones, sed explicationem nullam. Tales tamen adulescentuli maturi et apti quo- tannis declarantur ad quaslibet disciplinas in universitatibus et ad quaelibet opera in vita.

Mihi quidem jam responsum est: «Id non per vias novas effec- tum est: nam tantuli fructus e traditis a majoribus viis ac rationi- bus percipi solent». Non vero ita rem se habere confido, si de veris more traditis viis agitur: nam et multi professores sub nomine veterum viarum suas ipsorum insectantur et quidam auctores librorum ad pueros de lingua latina edocendos editorum veteres vias, quas sese insequi profitentur, non tradunt, sed produnt, quia et linguae et rerum romanarum non vero doctores, sed vere venditores se pree- buerunt; sed, si tam mali fructus essent veterum quam novarum viarum, lingua latina in scholis mediis omnino derelinquenda esset aut flori ac robori puerorum reservanda, quod in USA et in URSS fieri coeptum est.

Quae cum ita sint, quid iis magistris faciendum est qui in supe- rioribus classibus scholarum mediarum animadvertunt discipulos

quos acceperunt per se ipsos nihil fere facere posse? Alii, praesertim ii qui per vias a majoribus traditas etiam nolentibus moderatoribus laborare pergunt, inviti discipulis eam materiam tradunt quae in prioribus classibus perdiscenda fuerat; alii, praesertim ii qui vias novas fovent, cum discipuli sui convertere nequeant, ipsi convertunt summatim et leviter atque de via non inviti digrediuntur eo consilio, ut sermone patrio locos quam plurimos cum antiquos tum recentes de rebus variis cum romanis tum hodiernis diligentissime conferant et tandem per controversiam inter discipulos institutam cogitationes explicent non jam scriptoris sed suas ipsorum de optima re publica, de societate et de ejus ordinibus, de scientiis, de artibus, de moribus, de legibus, de philosophiis et religionibus cum antiquis tum hodiernis: discipuli interea beate admirantur magistrum non jam de romanis verbis sed de rebus universis tam docte disputationem, nihil ipsi laborantes: en vias «activas»!

Itaque doctores qui linguam et praesertim scriptores latinos in ultimis scholarum mediarum classibus tradunt, sive priorum classium materiam repetere et iterare et suum proprium officium deserere et neglegere coguntur sive cetera omnia praeter latinum et latinos tradere malunt, dum Vergilium, Horatium, Ciceronem, Tacitum vel explanare conantur vel prodere instituunt, volentes nolentes meram comoediam agere et ingenium atque artem suam prostituere et denique nectar non sitientibus ministrare, immo margaritas ante porcos proicere sibi videntur.

Igitur aut mutandi porci sunt aut margaritae mutandae vel potius *et discipuli et scripta atque etiam magistri et modi accommodandi*.

Primo *discipuli* reformandi sunt: nam, si comparatio instituitur cum iis annis quae fuerunt ante bellum illud universum quod ultimum dicitur, 1939-1945, id est abhinc triginta annos, interest distinctio trium fere annorum, quod ad maturitatem, sollertia, culturam, scientiam pertinet: hodie adulescentuli 18 annos nati vix 15 annorum existimandi sunt et pueri et paene infantes permanent, primo quia eorum matres, sicut incubitantes gallinae, quae non solum ova sed etiam pullos sub alis fovent, eos blanditiis omnibus permulserunt et effeminaverunt, deinde quia sophistae sub nomine «paedagogiae pueri regis» eos in pueritia retinuerunt quos e pueritia ad humanitatem educere debuerant, postremo quia in scholis primariis male praeparati sunt a ludi magistris qui ipsi vias «globales» insectari coacti sunt. Itaque inter cohortes innumerabiles quae nunc

scholas medias invadunt non cuncti invitandi et recipiendi sunt ad linguam latinam et graecam descendam et exercendam, sed tantum selecti et probati, qui et possint et cupiant: nam, ut remedium nihil prodest nisi satis copiose et satis mature ministratur et satis validum est, ita latinum et graecum nihil efficiunt nisi satis ample et satis cito et satis penitus in iis elaboratur; omnibus sane pueris idem jus est ad quaelibet studia accedendi, sive ex plebe sive ex ceteris ordinibus orti sunt (neque ipse obliviscor me ex patre fabro natum esse, qui filio suo unico educationem Quiritium paeberi voluit, ut libertus pater Horatii); non omnibus tamen idem jus et aequum munus tribuendum est ex quibuslibet studiis prospere excedendi, sive optimi sive deterrimi sunt: nam non omnibus eadem ingenia neque aptissima ad omnia munera largita est natura; vera autem democratia stare non potest nisi eam vera aristocracia dirigit, quae ex meritis constituta est, non ex divitiis vel ex amicitiis vel ex aliis commodis.

Deinde scripta puerorum ingenio adaequanda sunt: nam primo, ut supra dixi, plurimis discipulis multi scriptores latini pro tortoribus habentur atque ideo scriptores faciliores prius et potius quam difficiliores praebendi et elegendi sunt; deinde omni tempore adolescentuli, quia eis opus est se ipsos ponere opponendo ceteris ac praesertim adultis, quorum juribus invident, at non officiis, semper et ubique se ipsos extollere atque ostentare cupiverunt; hodie tamen, eo magis quod et a matribus et a sophistis blandientibus foventur, quicquid nimium et insolens et intemperans est maximi ingenii signum ducunt, quicquid autem moderatum et continens et temperans est plurimae humilitatis indicium existimant: sic Tacitum et Lucanum non obstantibus vitiis sed propter ipsa vitia admirantur; vicia autem praesertim adolescentulorum haud acuenda et concitanda sunt, at emendanda et mitiganda: itaque exemplaria ad imitationem proponenda sunt ingenia praestantia perfectione aequa librata magis quam micantia novitate singulari, id est prius et potius Cicero quam Livius, Suetonius quam Tacitus, Vergilius quam Lucanus, Horatius quam Juvenalis, Terentius quam Plautus. Evidem scio doctissimos doctores aliter sentire: licet quidem suum quemque studium sequi non solum voluptatis sed etiam culturae causa; sed illi professores illustres jam formati et educati sunt et ideo venenum quoque quod sub ingeniis maximis latet perspiciunt et patiuntur sine incommmodo, adolescentuli autem adhuc formandi sunt et idcirco vitium quoddam scriptoris vel non vident vel potius

maximam virtutem ducunt et potissimum imitantur et colunt et accidunt: itaque potius ea materies eligenda est quae pueris salubrior erit quam ea quae magistro ipsi placet vel voluptatis causa vel etiam ad culturam suam. Nam de adulescentulis idem dici potest atque de fluminibus: «cum aquae vim is fluvius vehat ingentem, non tamen navium patiens est»; adulescentuli quasi torrentes sunt: torrentes multum obsunt nisi quid eis obstat, multum prosunt si canales fiunt; adulescentuli igitur moderandi sunt, si excessu laborant, etiam in virtutibus.

Tertio *magistri* quoque temperandi sunt: sint potius moderatissimi quam singularissimi, sapientissimi quam eruditissimi et munus suum praecipuum habeant non cognitiones tradere neque suas neque alienas, sed artem ipsam fovere, colere et exercere cogitandi, dicendi, discendi, laborandi; deinde persuasum habeant antiquorum imitanda esse non themata, non genera, sed virtutes<sup>4</sup>; denique haec praecepta praecipua ducant: «ne quid nimis» et «in medio virtus».

Postremo *modi* restituendi sunt, non tamen ut aliae etiam atque etiam novae viae ac rationes inveniantur, sed ut redeatur ad veras «humanitates», id est ad rectissima praecepta et ad optima

---

4. Virtutes, ut supra dixi, prius et potius quam linguam et cultum: sermonem sane latinum in conventu adhibere bonus effectus est linguae latinae discendae, non finis tamen linguae latinae discendae et tradendae in scholis mediis quae «humanitates» vocantur. Eis quidem qui, jam adulti vel adulescentes facti, id tantum spectant, ut linguam latinam in conventibus vel inter amicos legant, audiant, scribant, dicant recte et facile, et quibus linguarum sensus quidam est viae ac rationes quae appellantur «Assimil» vel «Berlitz» multum prodesse et forsitan quam maxime efficaces et celeres esse possunt, pueris autem, qui linguarum sensum nondum satis habent et suum ipsorum patrium sermonem non satis bene tenent, plerumque non solum non aptae sunt, sed etiam vere obsunt.

exemplaria earum artium «quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet» et debet<sup>5</sup>.

**ALBERTUS GRISART**

in Atheneo Regio Viroviaci Eburonum Professor  
67, Avenue de Thiervaux, HEUSY-VERVIERS, Belgique.

5. Vera educandi ratio non est Renascentis Antiquitatis ars docendi: nam illius temporis optimi ipsi magistri, immoderato historiae Romanae studio impulsi, deterrimos breviatores vel antiquarios —dico Eutropium, Florum, Quintum Curtium, Ammianum Marcellinum, Cornelium Nepotem, qui hodie in libris ad pueros educandos editis rursus apparere coeperunt— aequa coluerunt atque optimos «classicos»; deinde, ipsi sermone latino confuse mixto et difficillimo intellectu scripserunt. Vera ipsa antiquitas non omnino serviliter in omnibus rebus sequenda est: Cicero enim et Isocrates nec non et Quintilianus, quia oratores vel etiam rhetores erant, culturam spectaverunt oratoris potius quam hominis et viri et ideo doctrinam et scientiam fortasse potius petiverunt quam disciplinam atque coluerunt cognitiones omnis generis quae oratori prodesse possint potius quam virtutes generales quae pueros ad aetatem adultam informare debeant; attamen primo etiam ad optimum efficiendum oratorem non tam rhetoricas artes spectat Cicero quam humanas cognitiones, deinde in graecis oratoribus non cultum laudat graecorum sed virtutes oratoris quidem sed et scriptoris et hominis et viri (sic exempli gratia vim Demosthenis, subtilitatem Lysiae), denique ipse Cicero et ejus imitator, id est auctor *Dialogi de oratoribus*, non rhetoricam sed culturam ad imitationem proponunt. Hodie certe non jam oratorem formandum humanitates spectant, sed hominem ad omnia munera paratum: machinator ergo tantum disciplinis linguarum antiquarum opus est quantum doctori sermonum hodierorum ad virtutes generales conquirendas quarum conjunctione *puer adolescentulus et tandem adultus fiat completus et aequa libratus*.

# C A R M I N A

«RIVULIS CANENTIBUS»  
D. D. HAMLETI TONDINI  
AB EPISTULIS PONTIFICIS MAXIMI  
AD PRINCIPES

Quam bene decurrens canis in viridantibus herbis;  
Sed te non ullus, rivule pure, videt!

Aestibus in mediis mihi dulcius esse videtur  
Nil puris lymphis, rive canore, tuis!

EXCELLENTISSIMO VIRO  
JOHANNI FERRO ARCHIEPISCOPO  
SANCTAE METROPOLITANAEC ECCLESIAE RHEGINAE  
JUL. XL. ANNO RECURRENTE  
EX QUO DIVINA PRIMUM LITAVIT HOSTIA  
CLERUS POPULUSQUE RHEGINUS

Ut pia condescendunt altare volumina thuris,  
Et circum gratus spirat et halat odor;

Desuper ut lychnus flammescens omnia lustrat,  
Cuncta superna petens, urit oliva sua;

Messibus ut campos animo flavescente cernit,  
Semina dum pingui credit arator humo,

Sic sacrum munus fausta feliciter esto,  
Rheginae sedis, pastor amate, tuum.

**DIVUS FRANCISCUS ASSISIENSIS  
AVIBUS CONTIONEM HABET**

(Ex Julii Salvadori italico carmine)

*Francesco, andando con la compagnia,  
alberi vide ai lati della via  
ed una moltitudine di uccelli  
che piegavan col peso i ramoscelli.  
Ed ei si volse tanto lieto in viso  
che gli ridea negli occhi il Paradiso.  
— Fratelli miei, voi grati esser dovete  
a chi vi fece creature liete:  
e sempre voi dovete Lui lodare,  
perchè v'ha fatti liberi volare,  
e v'ha dato di piume il vestimento,  
sì che no vi fa danno acqua né vento.  
E voi non seminate eppur mangiate  
e dell'acque del ciel v'abbeverate;  
lume v'ha dato a fabbricarvi il nido,  
e delle vie del cielo istinto fido;  
tanto, uccelli, v'amò l'alto Signore: —  
Mentre Francesco così stava a dire,  
ei battean l'ali, quasi a plaudire,  
e abbassavan le brune testoline  
e allegrezza mostravan senza fine.  
E San Francesco ancor si rallegrava  
meravigliando, poi che lo mirava  
l'alata moltitudine ascoltando,  
come la folla fa, che ascolta un bando.  
Poi fece il segno lor di santa Croce,  
dicendo: andate! E a quella dolce voce,  
in aria si levarono festanti  
e si sentian meravigliosi canti.  
Poi, secondo la croce, obbedienti  
se n'andaron partiti ai quattro venti,  
e in tutte le sue parti il ciel sereno  
fu dei lor canti armoniosi pieno.*

Sanctus Franciscus, pergens cum fratribus olim,  
Tramitis haud parvas plantas in margine vidit.  
Illic alitum grex insidebat, ad imum  
Qui teneros magno curvabat pondere ramos.  
Ipse hilaro tam se vultu convertit ad illum,  
Ut subriderent caelesti lumina risu.

— «In Dominum gratos animos ostendite, fratres,  
Cui vosmet placuit valde res reddere laetas:  
Ejus continuo debetis dicere laudes,  
Quod vos concessit liquidam volitare per aethram,  
Et modo plumarum corpus contexit amictu,  
Ut neque sit damno ventus neque defluus imber.  
Quamquam non seritis, numquam vos deficit esca,  
Ac sitis ardores pluviali pellitis unda;  
Figere vos docuit necnon suspendere nidos,  
Aeriaeque viae fidum instinctum indidit ille;  
Nunc Regi, qui vos tanto dilexit amore,  
Cantibus assiduis meritos persolvite honores» —

Sancto Francisco tum talia verba loquenti,  
Omnes commotis alis, plaudire videntur;  
Et demittebat cervicem quisque nigellam,  
Exsultans, ex se promebat gaudia magna.  
Franciscus tum laetitiam de pectore prodens  
Obstupet alitum quod eum grex conspicit usque  
Et sic sermones attentis auribus haurit,  
Ut plebs quae praebet paeconis vocibus aures.

Aere deinde crucis signum conscripsit in ampio:  
«Ite!», pius vir ait, quo verbo protinus ales  
Cuncti festivi passim coepere volare,  
Posthac auditur cantus dulcedine plenus.  
Postremo dicto parentes undique ventos  
Ad quattuor celeres altum petiere volatu,  
Omni ex parte polus tum fulgens atque serenus  
Cantibus illorum totus resonabat amoenis.

## IN VIRGINEM MATREM

(Dante, Paradiso XXXIII, 1-21)

*Vergine Madre, figlia del tuo figlio,  
Umile ed alta più che creatura,  
Termine fisso d'eterno consiglio.*

*Tu se' colei che l'umana natura  
Nobilitasti sì, che il suo Fattore  
Non disdegno di farsi sua fattura.*

*Nel ventre tuo si raccese l'ardore,  
Per lo cui calde ne l'eterna pace  
Così è germinate questo fiore.*

*Qui se' a noi meridiana face  
Di caritate, e giuso, intra i mortali  
Se' di speranza fontana vivace.*

*Donna, se' tanto grande, e tanto vali,  
Che qual vuol grazia, ed a te non ricorre  
Sua disianza vuol voler senz'ali.*

*La tua benignità non pur soccorre  
A chi domanda, ma molte fiate  
Liberamente al domandar precorre.*

*In te misericordia, in te pietate,  
In te magnificenza, in te s'aduna  
Quantunque in creatura è di bondate.*

MARIO MARCIANO  
GRAECARUM LATINARUMQUE LITTERARUM DOCTORI

Candida dum sugis succensa bacilla tabaci  
Leniter, et sequeris sinuosa volumina fumi  
Luminibus quasi conclusis, incommoda vitae  
Taedia tristitias arce: obliviscere rerum!

PAULO VI  
PONTIFICI MAXIMO

Virgo parens, eadem carissima filia Nati,  
Simplicitate tua superas quae cuncta creata,  
Te Deus aeternast meditatus mente futuram.

Sic natura hominum per Te est ornata decore,  
Maximus ut rerum cunctarum Conditor ipse  
Non ex Te horreret mortale adsumere corpus.

In Te divus Amor, qui prisco errore jacebat,  
Exarsit rursus, vi cuius pacis in aula  
Aeternae flos hic fulgentia lumina pandit.

Hic superis pietas nites ut taeda coruscans;  
In terris vero miseris mortalibus exstas  
Una spei vivus fons dissilientibus undis.

Cuncta potes, regina poli mundique Maria,  
Ut, si quis cupiat sine Te caelestia habere,  
Is potius certet sine pennis ire per aethram.

Tu, bona, non tantum praebes tua dona petenti  
Votis ac precibus, properas sed saepius ipsa  
Omnia liberius nullo poscente referre.

Summa in Te pietas est, magnificentia summa;  
Quotquot virtuties humanis cordibus insunt,  
In Te, virgo parens, has omnes credimus esse.

JOSEPHO MORABITO  
LATINORUM POETARUM HUJUS AETATIS PRINCIPI

Hunc cynara scolymo confectum sume liquorem,  
Caelo dum fervet torrida stella Canis.

Si placet, assyrium malum lymphamque gelatam  
Misce. Scito: jecur, docte poeta, juvat.

## O REGINA PUELLA

(Ex Johannis Pascoli carminibus)

## O REGINELLA

*Non trasandata ti creò per vero  
 la cara madre: tal, lungo la via,  
 tela albeggia, onde godi in tuo pensiero:  
 presso è la festa, e ognuno a te domanda  
 candidi i lini, poi che in tu balia  
 è il cassone odorato di lavanda.  
 Felici i vecchi tuoi; felici ancora  
 i tuoi fratelli; e più, quando a te piaccia,  
 chi sua tu porti nella sua dimora,  
 o reginella dalle bianche braccia.*

## FIDES

(Ex J. Pascoli italicis carminibus)

*Quando brillava il vespero vermiglio,  
 e il cipresso pareva oro, oro fino,  
 la madre disse al piccoletto figlio:  
 "Così fatto è lassù tutto un giardino".  
 Il bimbo dorme, e sogna i rami d'oro,  
 gli alberi d'oro, le foreste d'oro;  
 mentre il cipresso nella notte nera  
 scagliasi al vento piange alla bufera.*

ANNAE MARIAE PELLEGRINI  
PUELLAE NOBILISSIMAE NUPTURAE

Te vero cultam peperit dulcissima mater:  
Talis per sepes albescit linea tela,  
Ut, cernens illam, laetaris pectore, virgo.  
Festa dies tibi adest, ubi candida linea quisque  
Te poscit, quod enim tibi sunt, pulcherrima, odoris  
Vestibus et tunicis pulchris armaria plena.  
O pater et mater, qui te genuere beati,  
Felices fratres! sed felicissimus ille  
Ante omnes, qui te in sedes deducet avitas,  
Candentes ulnas splendens regina puella.

FERDINANDO M. BRIGNOLI  
POETARUM PRINCIPI

Cum rutilus Vesper per caelos mille colores  
Spargit, et ex auro cupressus tota videtur,  
Arbore monstrata, pupo matercula narrat:  
«Talis adest illic supra nos aureus hortus!»...  
Obdormit puer, in somnis et ramus et arbor  
Et nemus ante oculos illi tum fulgurat auro.  
Per tenebricosam noctem frondosa cupressus  
Deflens interea vento contendit et imbri.

## ANTIQUUS FLETUS

(Ex I. Carducci italis carminibus)

Arbos, cui parvas tendebas, pupule, palmas,  
Punica purpureis floribus arbor olens,

Rursus deserto tacitoque virescit in horto,  
Aestas nunc illam, luce calente, juvat.

Arentis caesaeque meae flos arboris, unus  
Vanae tu vitae flosculus ipse meae,

In gelida nigraque jaces sine lumine terra;  
Nec sol te reficit nec fovet ullus amor.

Can. Prof. FRANCISCUS ALOISE  
Pontificio Seminario Regionale Pio XI  
REGGIO - CALABRIA (Italia)

# DE RE COSMONAUTICA

(eam, quae in n. 208 est edita, pars octava sequitur)

(LIV) Quarto kal. aug. MCMLXIX. Speculatrix machina, *Mariner 6* nuncupata, quae superiore mense februario fuerat in immensum projecta, complures stellae Martis imagines lucis ope impressas in Terram per aetherias undas jam transmittere coepit. Rei cosmonauticae studiosi viri, quibus in urbe Caliphorniana, ex Foederatis Americae Civitatibus notissima, *Pasadena* quam dicunt, praecipua est caelestibus pvestigandis rebus constituta Sedes, minime dubitant quin plurima, easdem perspiciendo, de stellarum solem circumneuntium motu ac rationibus comperiri possint. Id autem potissimum prae ceteris arbitrantur, quod aliquod vivendi indicium reperi fortasse liceat, quoddam virentium saltem genus, fungorum exempli gratia ac lichenum. Jam interim in prioribus ejusdem imaginibus alter spectatur vertix, cujusdam pileoli forma (italice: *calotta*) splendentissimo lumine nitens (an concreta glacie obtectus?), cum alter oppositus vertex passim varie consecutus videatur. Imagines aliae autem, in Terram deinceps transmissae, vulcania cava, crateres aliter dicta, praebent, quae non aliorum corporum fragmentis, sed potius ex ipsis caeli principiis, quibus stellae Martis aether constet, veri simile exesa fuisse videtur. Alia hujusmodi speculatrix machinula, *Mariner 7*, imagines lucis ope impressas transmittere interim et ipsa coepit, etsi serius; quae, quamvis permagni momenti ac nitidae admodum sint, nihil aliud tamen repraesentant quin sit jam a praecedente consimili (*Mariner 6*) notatum nobisque superius referre visum.

(LV) Quinto idus octobres, MCMLXIX, undevicesimo minuto supra alteram posmeridianam horam, e Sede apud *Baikonur*, in asiatica *Kzakhstan* plaga, quae in Foederatarum Russiae Civitatum est finibus sita, unde et astronaves simul et cosmonautae in sublime extolluntur, ab urbe principe *Moscua* ducentorum quinquaginta supra duo milia passuum spatio, quaedam capsula, *Soyuz 6*, cosmonau-

tas russicos, *Gheorghi Shonin* ac *Valeri Kubasov*, vehens, est in inane spatium projecta, terrestrem orbem circumitura. Quidnam russici rei cosmonauticae periti efficiendum sibi proposuerint nil satis, usitato more, significari videtur. Communis opinio, et ea verisimilis, est ut aeria quaedam statio constituatur, aliis deinceps adjunctis capsis, quo facilius ac tutius in sublimiora, quam citissime praesertim ad lunaria vestigia premenda, volatus efficiatur. Nam, postridie, quadragesimo quinto minuto supra undecimam horam (italice computatam), est altera jacta capsa, *Soyuz 7*, cum priore se conjunctura, qua impositi vehuntur russici rei cosmonauticae periti *Anatoli Filicenko*, *Viktor Gorbatko*, *Vladislav Volkov*. Ubi primum in terrestrem est initum orbitam, radiophonicus sermocinandi usus inter capsas est mutuo institutus. Tertia autem capsa, alio interjecto die, *Soyuz 8*, est ex eadem Sede jacta, undetricesimo minuto supra undecimam horam (italice computatam), qua *Vladimir Scialatov*, aeronavium turmae praefectus, et *Alexei Ielisieiev*, machinalis scientiae peritus, vehuntur, itinerum ambo per aetheria spatia veterani: nam, eorum alter, *Ielisieiev*, superiore mense januario, per inane, etsi brevi, deambulavit, extra capsam *Soyuz 4*, ex qua postea in alteram, *Soyuz 5*, transivit, cuius gubernator *Scialatov* fuit. Postridie idus octobres, undecima fere hora (italice computata), prima e tribus capsis, *Soyuz 6*, qua *Gheorghi Shonin* et *Valeri Kubasov* quinque ante dies in terrestrem orbitam se extulerant, in praestituta plaga, quae centum octoginta chilom. a *Karaganda*, in *Media Asia*, distat, levi lapsu Terram attigit: quaedam capsae pars, sejuncta, volatum extremum, juxta decursum sub inspectione continenter dispositum, explevit, nullo machinali impulsu actum, sed per «aerodynamismum», seu per aeris pressi vim. Quale demum huic capsae mandatum? Hoc antea professum: efficere ut effractae variorum metallorum partes ex se ipsae, prius liquefiantes, mox conglutinentur, cum omnia circa spirabili aere omnino careant: quod, ut e Russica pervulgandis nuntiis Sede pro comperto haberi potest, bene cessisse videtur. Alio autem interjecto die, altera quoque capsa, *Soyuz 7*, Terram attigit, semihora circiter post meridiem (apud *Moschos* in urbe principe computata), centum quinquaginta quinque milium spatio a *Karaganda*, in eadem seu plaga ac prima, intra *Kazakhstan* fines. Tertia, postremo, capsa, subsequente die, eam secuta est, eundem fere locum attinagens eodemque modo. Nequaquam, igitur, perfectum esse videtur consilium eorum, qui hujusmodi gerendis rebus praesunt: nam sibi ipsi quandam coaequatam trium machinarum aream constituere

proposuerant, quae ut basis adhiberi posset ad quemlibet futurum comparandum instruendumque volatum. Quod eos fefellit propositum.

(LVI) Postridie idus novembres, a. MCMLXIX, vicesimo quinto m' supra quintam posmeridianam horam (italico more), e consueta jactuum Sede apud Foederatas Americae Civitates, quam vulgo *Cape Kennedy* nuncupant, per inania transvolatura capsula projecta est, cui nomen *Apollo 12*, tres simul vehens americanos viros, *Charles Conrad, Richard Gordon, Alan Bean*. Eadem ab ipsis cosmonautis est cognomen additum *Yankee Clipper*<sup>1</sup>, cum aliud, *Intrepid*<sup>2</sup>, vehiculo *LM* (compendiariis litteris e nomine *Lunar Module*), in extrema capsula aptato, est inditum; quod naviculae lunaris exemplar est ad satellitis solum attingendum ex industria institutum. Quibus ipsis titulis nonnullae sunt americanae classis naves inscriptae. Nomen *Yankee Clipper* erat jam pridem navigium illud appellatum, velis tantum passis instructum, quod primum trans Oceanum ad commeandum mercatores vexit, decimonono ineunte saeculo. Aerona-vis praefectus est *Charles Conrad*, laevum lacertum quadam nota, seu anchora ac stella, compunctum gerens<sup>3</sup>. Inter iniquas caeli vices est eadem aeronavis projecta, cum sit ingens coorta tempestas, dum singula temporis momenta in contrarium numeranda ad finem adducuntur<sup>4</sup>, suum quoque locum jam cosmonauta obtinente: effusus imber, densa caligo et, quod est majus, fumosus aer, qui igneum jaculum pro vectore adhibendum (*Saturno* nomine) circumdabat, quandam creabant trepidationem nec non et visui impedimentum. Incertum tantisper fuit num jactus differretur, quoad aer tranquillus fieret; tunc demum est motorium ignei jaculi instrumentum accen-sum; quare sublimius en se tollit aeronavis. Postquam Terram semel iterumque circumierunt, cosmonautae, qui modo jam motoria instru-menta tractaverant, ut, celeritatis augescendae causa, alteram jaculi, seu *Saturno*, partem expellerent, vehementius, tertia expulsa parte, capsam projecerunt, ne terrestris gravitatis vi teneretur, immo ut celerius iter ad Lunam versus pergeret.

Quod cum perfecerint, *Conrad, Bean, Gordon* summan dederunt

1. Ex anglico sermone latine versum: *americana celeris navis*.

2. Ex anglico sermone latine versum: *intrepidum*.

3. italice: *tatuaggio*; anglice: *tattooing*.

4. italice: *proprio sul finire del conto alla rovescia*.

operam ad exemplar *LM*, seu *Intrepid*, a reliqua capsā sejungendum, quod porro, sursum versum, mox jungere denuo oporteret; reliquam quoque aeronavem dein sursum ea ratione verterunt, ut extrema ejus pars in naviculae exemplar *LM*, seu *Intrepid*, rostri instar dirigeretur. Vehiculum, igitur, integrum, seu *Apollo 12*, cuius parti principi nomen *Yankee Clipper* est additum (ut jam superius diximus), ad Lunam cursum collineare perrexit, celeritate gradatim deminuta. Hujus rei princeps ac moderator, *Conrad*, nunc demum commonuit vitrea vehiculi ostiola concretis pluviae guttis obducta conspici; non opacata tamen, ut oculi longius latiusque foras conici nequirent.

Tertio autem a jactu die, antelucana fere hora, praecipuum est motorium instrumentum accensum, ut aeronavis, inter terrestris ac lunaris gravitatis vim pari distans intervallo, ipsius Lunae orbitam iniret simulque iter celerius pergeret. Quod ubi factum est, *Bean*, quem est mox *Conrad* secutus, in naviculae lunaris exemplar (*LM*), seu *Intrepid*, ingressus est, ibique quattuor fere horas est uterque cosmonauta commoratus, donec idem exemplar superficiem lunarem petitum leniter labi coepit, a principe capsae *Apollo 12* (seu *Yankee Clipper*) parte sejunctum, quam tertius cosmonauta, *Gordon*, regere perrexit, terrestrem satellitem adhuc circumitiram. Haud multo plus hora, qua celeritas magis ac magis in extrema temporis momenta est paene ad nullum redacta numerum, naviculae exemplar (*Intrepid*) non longe ab illo craterē vulcanio se leni lapsu depositus, cuius super latera, interius, tripedalis machinula speculatrix, *Surveyor III*, se deposuerat, mense majo MCMLXVII<sup>5</sup>, in plaga, quam *Oceanum Procellarum* rei cosmonauticae peritissimi viri ex conventione nuncuparunt. Non ante autem quintam absumptam horam *Charles Conrad* prior lunare solum tetigit, quem, vix simihora exacta, est *Alan Bean* secutus. Haud cunctanter ad *Oceanum Procellarum* explorandum sese dederunt, in quo primum ipsius satellitis motus ex se intus natura exorituros aut aerolithūm trajectione effectos instrumentum (graece: *sismographium*) indicaturum constiuerunt. Alios simul varii generis apparatus iidem instruxerunt, quibus quaedam officina effice videretur ad scientiarum cognitiones acquirendas atque in Terram aetheriis undis transmittendas: electri- cae nempe ac nuclearis machinationis stationem, quae et electridis vim provideat et eruditos opificesque, quorum praecipua Sedes est

---

5. Cfr. PALAESTRA LATINA, n. 190, a. 1967, pág. 126; narratiuncula XXVIII.

in urbe *Houston*, intra Foederatarum Americae Civitatum fines constituta, quomodo se gerant ipsa machinamenta certiores faciat; praeterea *magnetometrum*, quod dicunt, ad vim magneticam explorandam, nec non et peculiarem machinulam, qua *iones*<sup>6</sup> inspiciantur, quibus sit imbuta stratosphera; postremo, quandam arculam, qua condita ad opera cosmonautis conficienda instrumenta serventur.

Postquam somno ciboque corpora satius recreaverint, cosmonautae ad lunare solum explorandum rursum deambulare coeperunt. Cum in illius crateris clivum, cuius appellativum nomen «*homo nivium*», orbiculatum atque gradatum, descenderint, quasdam tripedalis illius machinulae speculatricis, *Surveyor III*, partes recuperaverunt, quam jam pridem, ut superius diximus, propulerant americanai rei cosmonauticae praepositi; magna deinde lapidum, vario colore ac magnitudine, pulverum, arenarum copia collecta, in naviculae exemplar (*Intrepid*), quarta fere hora consumpta, rursum se receperunt; quod, cum semel iterumque Lunam circumierit, est cum aeronavi principe (*Apollo 12*, *Yankee Clipper* nuncupato) congressum, ubi tertius itineris comes, *Richard Gordon*, adhuc, lunares orbes agere pergens, exspectabat.

Ex eodem autem exemplari (*LM = Intrepid*) *Conrad* ac *Bean* sese per arctum curriculum in aeronavem principem (*Apollo 12*) repantes transtulerunt, a qua sejunctum demum exemplar illud in superficie lunari illisum praefregit, cum nihil amplius eodem opus esset. Propter naviculae collisionem ex praecipiti lapsu tam vehementer lunare solum, tota fere hora, tremuit, ut *sismographium*, jam modo in ipsa Lunae superficie a cosmonautis constitutum, motus vim indicaverit. Quod quidem in opinionem inducit interiorem satellitis conformationem quadam esse metallo aut vitro simili natura videri.

Restituto itaque cosmonautum convictu, aeronavis *Apollo 12* terrestres satellitem circumire viginti quattuor alias horas perrexit, ut peculiares cujusque generis notas deprehenderet, quas, lucis ope impressas, in Terram cosmonautae transmitterent; crateras maxime iisdem imprimere curae fuit, prae ceteris *Fra' Mauro*, *Lalande*, *Cartesio*, quos dicunt, quosque circa alii americanii, *James Lovell* ac *Fred Haise* quam primum se leviter lapsuri putantur.

Quarta, igitur, et vicesima exacta hora, aeronavis *Apollo 12*, hu-

---

6. — seu: flatus rarefacti.

jusmodi rei gestae heroas vectans, septimum post diem quam e Terra profecta erat, ad eandem Terram versus est aggressa redditus iter. Itaque, undesexagesimo m' supra vicesimam alteram posmeridianam horam (italice computatam), uno nempe plus quam praevisum erat, aeronavis *Apollo 12*, victa terrestris gravitatis vi, trium adapertilium umbellarum ope, cum septies millesimi metri spatio a terrestri superficie adhuc distans captata esset, in *Oceani Pacifici* aequore, non longe ab insula *Pago Pago*, quam nuncupant, est leviter deposita, apud illud pelagi spatium insulis compluribus refertum, quas *Samoa* appellant, quarti, etiam paulo plus, miliarii interjecto intervallo a nave *Hornet* aerovehiculis gerendis instructa, quae ipsis cosmonautis reversis jam praesto erat. In superno autem ejusdem navis tabulato a quodam *auto-gyro* helicis instructo iidem, in cymbam gummeam antea translati, cujusdam caveunculae ope, ex intorto chalybeio funiculo pendentis, sunt demum depositi.

(LVII) Tertio idus apriles MCMLXX, tertiodecimo m' supra vicesimam horam (italice computatam), cum in incertum aliquandiu revocatus esset jactus p[ro]ae iniquo aeris statu, praesertim vero quod fieri posset ut unus ex proficiscentibus quandam valetudinem contraheret, nubilis tandem disiectis atque alio viro pro ordinario suffecto, aeronavis est in immensum projecta, cui nomem «Apollo 13», e Sede, quae princeps in tot universi orbis locis jam recensenda videtur, «Cape Kennedy» nuncupata. Tres cives americanoi ea vehuntur: *James Lovell*, rei cosmonauticae veteranus, *Fred Haise*, *John Swigert*, in locum viri *Thomas Mattingly*, fortasse aegrotantis, cooptatus. Igneum atque ingens jaculum, pro vectore adhibitum, «Saturno 5» nuncupatum, aeronavem summa vi impulit; cuius jaculi, paulo plus duodecimo m' exacto, prima, mox altera est pars sejuncta, cum tertia, naviculae principi adhuc adhaerens, quam ipsi cosmonautae «Odysseam» appellare malunt, nec non lunaris vehiculi exemplari (compendiariis litteris *LM*, e «Lunar Module»), quod «Aquarium» appellare et ipsi malunt, in orbitam terrestrem inierit. Tertio ac vicesimo m' supra alteram horam exacto, accensa ejusdem tertiae partis jaculi motoria machinula, aeronavis, celeritate ad duodequadragna milia chiliom. singulis horis aucta, cum terrestris gravitatis vim superaverit, in Lunae superficiem conlineare demum perrexit.

Quo planius autem tres partes, quibus aeronavis constat, ordine praestituto disponerentur, capsula princeps, seu «Odyssea», est a tercia ignei jaculi parte sejuncta; mox, se circum ipsa aliquantum ver-

sata, lunaris vehiculi exemplari est demum conjuncta, quod ejusdem tertiae ignei jaculi (seu «Saturno») parti adhaerere nunquam destitit.

Dum navicula princeps, jam «*Odyssea*» nuncupata, per inania volare pergit, nondum biduo consumpto, cosmonauta *Fred Haise*, postridie idus apriles, tertiodecimo m' supra tertiam horam (more americano computatam) in lunaris vehiculi exemplar (*LM*), cuius agnomen «*Aquarium*» jam superius memoravimus, per colligatum atque arctum est cuniculum ingressus, se certiore facturus num instrumenta varia, quibus est illud instructum, suas quaeque partes in promptu haberent. Eum collega *James Lovell* est mox secutus. Omnia in promptu sunt omnino perspecta ad efficiendum quicquid quaevis res postulet. Nunc igitur iter expedite habetur, cum astronavis gravitatis lunaris vi copta sit agi, quae ceterum paulatim superetur oportet, ut lunaris vehiculi exemplar (*LM*) levi lapsu selenicum solum attingat. Praestituta plaga est ea qua «*Mare imbrum*», quod dicunt, patet, vel potius apud cratera, cui nomen «*Fra Mauro*»<sup>7</sup> a siderum studiosis est inditum: impervia, lapidosa, foveis passim conspersa...

At quiddam necopinatum hic —heu, valde dolendum!— accidit: nemini enim constat quo pacto oxygenii, seu spirabilis aeris, copia effluxerit, unde in irritum tota res redigatur, non solum, sed et ipsa cosmonautarum vita periclitetur. Ea, paeter cetera, ducitur conjectura, ut asteroide aut aerolitho navicula princeps collisa sit. Itaque, reliquum est ut id lunaris vehiculi exemplari (*LM*) mandetur: cum vim motoriam integrum nec non et oxygenii, aquae electridis satis adhuc illud habeat, in Terram cosmonautas reducat eosque, etsi non in Oceani Pacifici, sed Atlantici saltem aequore, itineris contrahendi causa, necesse deponat. Nec fefellit spes: nam, alio exacto die, concubia nocte, astronavis, cuius partes, et «*Odyssea*» et «*Aquarium*», adhuc sibi invicem adhaerent, post circumitam Lunam, redditus tandem est iter ingressa. Alio consumo die, cum volatui praepositi viri viam quodammodo deviam sequi coepisse astronavem animadvertisserint, operam statim ad eam corrigendam dederunt; quod optimè cessit. Minus, igitur, anxii in horas jam fiunt animi de cosmonautarum salute. Nam, hora tertia ac dimidia post meridiem, sexto volatus die praetereunte, cum cosmonautae sint omnes in naviculam principem ingressi, ab astronave, seu «*Odyssea*», illa expellitur cap-

---

7. Cosmographi atque Chartographi nomen, qui saeculo XV Venetiis vixit; complures orbis chartas optime definitas atque admodum perspicuas descripsit.

sula, quae est ad omnia cosmonautis necessaria ministranda instructa; deinde, duobus exactis horis, illud quoque lunaris vehiculi exemplar eicitur, quod in satellitis nostri solo se positurus sit.

Nunc demum terrestris aeris est obeundum templum: reliqua enim astronavis «Apollo 13», cuius index est praeceteris memoriae tradendus, cujusque iter omnino congruit cum illo Homeri animoso heroe, Ulyse, unde eidem astronavi agnomen «Odyssea» inditum, dum dimidia supra sextam postmeridianam horam praeterlabitur, ex inani spatio in aera spirabilem transfertur, quam paulo post tres adapertiles umbellae receperunt. Hic, cosmonautae per ostiolum in cymbam gummeam descenderunt eosque singillatim aeria quaedam machina helicibus instructa, vel «auto-gyrus», quem brevius dicunt, ad perpendiculum delapsa, intorti chalybeii funiculi ope, sublatos, in superno navis «Iwo Jima», aerovehicula gerendo instructae, tabulato depositi, septimo ipso m' supra septimam postmeridianam horam, in Oceani Pacifici aequore, inter meridiem et solis ortum spectante, apud «Samoa» quas dicunt insulas.

Sic hujusmodi res gesta expletur. Numquid male cesserit? Talis videri potest; at multa quidem illa docuit ex iis quae est, etsi tam multas tantasque passa difficultates, experta. Nam, praeterquam probaverit quantum hominis opes valeant, cum res ex improviso periclitetur, iterum etiam demonstravit, per «sismographium» jam antea in satellite constitutum<sup>8</sup>, quam vehementer per quatuor fere horas lunare solum tremuerit ac strepuerit, cum tertia ignei jaculi (seu «Saturno») pars sit in eam collisa.

Prof. JANUARIUS MARINELLI  
 Via Salvator Rosa, 241  
 NEAPOLI (80136 Napoli) in Italia

---

8. Cfr. narratiuncula LVI.

# “INQUIETUM EST COR NOSTRUM”

(Narratio)

Bruno, centurio juvenis, aleae deditus in taberna aleatoria tantum aes alienum conflaverat, quantum nunquam reddere posset. Interposuit quidem fidem se omnia temptaturum, ut solveret, tamen se solvendo imparem sentiebat. Fracto igitur animo domum rediit. Uxor blanda, quam nuper duxerat, commotos mariti vultus conspicata, quid esset causae, quaesivit. Infelix rem silentio texit aliumque conclave petiit. Desperatus prorsus Bruno paulum sedebat. «Perditus est honor, perdita est vita. Nescio quo pacto ex malis tantis emergam. Quid mihi relinquitur nisi ut manus mihi inferam?» Jam armarium aperit indeque ballistulam ignivomam promit, cum subito uxor clam ingressa instrumentum infestum ei e manu extorquet et «facades» inquit «te nunquam necem consciturum». Paret uxor lacrimis motus et dat jus jurandum.

Militabat amplius, superioribus atque amicis pariter acceptus, sed dolore occulto tabescebat. Etsi saepe secum rem cogitabat nec tamen ullam saluti viam invenire poterat. Idcirco desperatis rebus omnibus, nocte quadam, relicta uxore domo clam egressus veste mutata profugit, ut procul a patria omnibus ignotus vitam posthac degeret. Unam conjugis imaginem photographicam secum ferebat. Aliquanto post in urbe Massilia praefectum legionis extraneae convenit atque quae acciderant aperte exposuit. Placuit praefecto candidus profugi animus et ex pacto convenit, ut legionarius in Africa stipendia faceret.

Relicta patria et uxore pontibusque omnibus post se interruptis Bruno nil aliud jam quaerebat nisi necem sive febribus, quae grassis solebant, sive glande mortifera, necem quam sibi inferre jure jurato vetaretur. Sed nex optata eum fugiebat. Labores militiae tulit durissimos, febres superavit, vulnus autem letale in tot cum tribibus proeliis accepit nullum, quamvis primus omnium se hosti objecisset, adeo audax, ut omnium admirationem excitaret et ad centurionis dignitatem promoveretur. Quot noctes duxit insomnes, quot lacrimas, febris igne et mortis desiderio flagrantes, fudit! Militabat in eadem legione juvenis quidam Renatus nomine, pari virtute et audacia, qui Brunonem maximi aestimabat et cum eo conjunctissime vivebat. Neque ulla inter eos erat invidia aut detrectatio, sed alter de alterius meritis sincere gaudebat. Taciturni ambo, nil unquam anteactae vitae prodere solitis, tamen persuasum habebant sese rem aliquam silentio premere. Renatus jam diu ultimam religionis

scintillam extinxerat ideoque familiaritas Brunoni extremae fuit perniciei.

Die quodam dum uxoris imaginem cum summo dolore contemplatur, Renatus repente ingressus et contubernialis maestitia commotus: «Monstra» inquit «mihi imaginem». Quam ubi diu est intuitus, vultus duri sensim emolliuntur; vadit ad cistam, promit vicissim imaginem usu detritam et digito pictas in ea virgines duas demons-trans: «Istae» inquit «sorores meae, Lucia et Agnes». Bruno attente considerans cum reddere parat, vultus amici commotos et oculos lacrimis madentes videt. Jamque Renatus, quod ante nemini unquam patefecerat, inter gemitus aperit. «Sorores optimae die ac nocte laborabant, ut pecuniam ad litterarum studia necessariam corrogarent. Saepe manus callosas tanquam cruentem respersas vidi nec tamen me praebui gratum. Inter pocula, miserrimus ego, pecuniam tot laboribus et aerumnis corrasam dissipavi! Jam ubi es, Lucia clementissima, ubi jam tu, Agnes blandissima?» Considit et amare plorat. Nunquam Bruno id in amico indurato viderat. Sed ut post nubila Phoebus redire solet, ita Renatus inter aleas execrari pergebat et amicum altius in impietatem rapiebat.

Paucis post diebus fama manavit legionem ad debellandam tribum in Arabiam esse prefecturam. Atque media nocte ad arma convocati legionarii, primo mane, cum omnes circa regiones desertae dormiebant, versus meridiem abierunt. Renatus a Brunonis latere incedebat. Post laboriosum trium dierum iter hostis eminus est conspectus. Ante signa inferenda Renatus ad Brunonem: «Si cadam, nullam religionis feceris mentionem. Videbo, num Renatus vel morte instantे ea contemnat, quae ante contemnere et spernere solebat».

Bruno talia quidem ex amico audierat, sed illo eodem tempore gravissimo horruit. Jam classica sonant, manus conseruntur et prima glans sclopeto projecta Renatum in ventrem graviter ferit. Bruno amicum cadentem videt, sed proelii impetu abripitur. Vesperi demum, hoste repulso, ad amicum advolat noctemque cum eo dedit. Ecce humi jacet vulneratus, vicinae mortis febris jactatus. Obnittitur corpus juvenile laboribusque duratum et cum morte pugnat. Gemit et singultat moribundus. Inter lucida intervalla amicum agnoscit. «Bruno, Bruno, sitio, sitio, da bibere». Sed unde in cremo aquam petat, cum utres omnes sint vacui? «Bruno, infernus in me urit, cedo guttam saltem unam». Conternatus est Bruno, quod ardenter petenti satis facere non potest. «Bruno, Bruno, da bibere, siti vehementius crucior quam inferno». Tum meminit Bruno se audisse: «Mortuus est dives et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos vidit Abraham a longe... miserere mei et mitte Lazarum, ut intingat extreum digitum sui in aquam, ut refrigeret linguam meam...»

«Bruno, diabolus te abripiat, nisi mihi dederis bibere... Ecce

cruorem manantem de Luciae et Agnetis manibus... quid me tam tristes adspicitis? Cur me accusatis coram Deo?... Bruno, me vocant, audin?... abi, Bruno, tuae quoque manus cruento rubent... me subleva, ut Deo in faciem male dicam... cur me non adjuvas?... Bruno, quid genua ponis?... tune oras?... ora, ora magna voce... cessa... ah, execrari volui neque possum... oblivisci nequeo valeo... Bruno, vis superna me orare cogit». Jam morituri spiritus in susurrum decrescit. «Ora, Bruno; ora, Lucia clementissima; ora, Agnes blandissima... quomodo incipit?... confiteor... Deo... omnipotenti... quia peccavi... nimis... nimis... nimis...» Ultimum respirare... oculi natare magnique fieri... labiis pallidis halare: «orare pro me ad Dominum Deum nostrum...» Contremit moriturus, decedit in pace... Bruno amicum, in tot proeliis socium fidelissimum, in deserto procul a patria tumulat.

Fluxere menses admodum duri. Bruno amici agoniae oblivious non poterat. Saepe ante oculos matris mortuae uxorisque relictæ imago versari coepit. Ubi est mater, quae me manus jungere et orare dicerat? Ubi uxor quae nocte funesta, qua fortunam perdidì, mihi e manu instrumentum extorserat?» Quae dum saepe animo volvit, cor durum ut glæba gelata vere tepente mollescit. «Bruno, finge animo matrem esse mortuam, num putas eam omnino exstinctam neque te eam amplius visurum? Finge eam subito apparere teque nomine appellare, quid respondebis? Nonne Renatus, desertor fidei, positus in agonia preces tamdiu neglectas, immo contumaciter spretas fudit? Finge uxorem reddituram tibique dicturam: «Quia jus iuratum servasti nec manus tibi intulisti, ideo aditus ad Deum misericordem late patet...»

Bruno in dies magis taciturnus factus acrius sensit conscientiae stimulos onusque vix ferendum. Atque intellexit clarius sole, qui super erenum fulgebat, se onus amplius ferre non posse neque ut amicum contempturum, quae ante contempsisset. Frequenter intus vocem arcanam audiebat dicentem et monentem, ut onus grave, quod moriturus ferre nequirit, abiceret. Et quemadmodum aliquis scidas epistulae, quam modo conciderat, colligit, ut iterum legat, ita Bruno, preces, quas a matre didicerat, aegre collegit et orare coepit. Hinc mirum non fuit, quod oblata occasione sacerdoti missionario post annos longos vitae exactae errata aperuit.

Jam tempus appropinquarat, quo militia, cui se sacramento obligaverat, in finem vergebatur. Cum domum redire nollet, alio loco, ubi esset incognitus, laborare constituit, ut aes alienum nocte illa contractum, solveret. Sed subito rebellio exarsit et legio ad eam comprehendam est profecta. Ipso proelii initio Bruno graviter vulneratus cecidit. Jacebat prostratus et arena cruento ex plaga effuso rubefiebat. Atque ut ipse morituro amico praesens aderat, ita factum est ut legionarius austriacus ei adesset. Nesciebat autem eum esse germanum ideoque haud parum stupuit, cum eum vernacula lingua orare

audiret. «Lassus ego lectum peto, claudio mea lumina». Quod infans matre voce praeeunte saepe fuderat.

Repente manum sinui inferens crucifixi imaginem prompsit labiis-que corpore febribus fervente admovit. Jamque cantare abrupte qui-dem et turbate: «Cum decumbam in deserto, corde glande saucio... tum decedam...» Cessat, dum lacrima per genam sole coloratam sua-viter manat. Subito se paulum aegre sublevans cantare pergit: «Jam, amice, crucem pone in deserto tumulo et inscribe illic: CUBAT VIR IGNOTUS OMNIBUS». Ultimum crucem labiis admovet, caput in latus inclinat et placidissime exspirat. Tumulatur corpus longe a patria manu rigida crucem tenente. Commotus austriacus in scida vili scribit: «Hic recubat vir fortissimus» et scidam cruci affigit. Venerunt venti et lugubre super tumulum desertum canticum cecinerunt.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.  
Haus Sentmaring  
44 Münster (Westf.)  
Sentmaringer Weg. 55 - 57.

# HORIS SUBSICIVIS

## PRIMORDIA METEOROLOGIAE

*Meteorologia* est scientia phaenomenorum atmosphaericorum, quae sunt v. g. ventus, pluvia, fulgur, nubes. De quibus homines, si nihil aliud urget, abunde colloquuntur: «Numquam, aiunt, vidi mus pluviam tam copiosam in medio mense Julii». Nec solum tempestatem modo praeteritam studiose describunt, sed quae mox fient, tentant praesagire. Sic agricola: «Utinam hic ardor octo dies duret ut messem concludamus!» Item qui feriantur, qui domum exstruunt, qui vias sarciunt, cet. Hinc plerique attente audiunt quae e sede radiophonica vel televisifica cottidie emittuntur de tempestate. Quibus de rebus prima elementa intendimus hic tradere.

*Atmosphaera* est totus aer qui globum nostrum circumdat. «Atmos» graece sibi vult vapor humidus. Quod etymon rem bene describit. Nam cum aer est mixtio oxygeni, gazi carbonici et azoti (i. e. nitrogeni), in eo semper diffunditur vapor aquae.

*Pressio atmosphaerica* est pondus aeris superioris. Aer enim, ut ascendis, rarer fit usque ad spatia paene vacua quae inter sidera patent. Sed stratae superiores, quamvis leves sint et rarae, tamen globo terrestri (ex attractione universalis) attrahuntur et stratas inferiores premunt. Hinc pressio videtur esse columna aeris superioris et sic barometro mensuratur.

*Barometrum* sic graece sonat: ponderis mensura.

(In pelve mercurii plena, immerge tubulum unius metri, cui una est apertura, ita ut nulla pars aeris in tubulo remaneat. Deinde exalta tubulum ita ut apertura in mercurio remaneat neque ulla bulla aeris intret. Mercurium in tubulo ascensit usque ad centimetrum circiter 76 et reliquum tubulum erit vacuum. Haec columna mercurii columnam aeris aequilibrat).

Sunt alia genera barometrorum, ad usum faciliora.

*Ventus* est translatio aeris. Ex differentiis pressionis oritur. Quae differentiae rursus e differentiis caloris oriuntur. Nam aer calefactus extenditur et ascendit (hic est ventus ascendens), aer refrigeratus contrahitur et descendit (hic est ventus descendens). Ergo in locis apricis, pressio inferior, in locis hiemalibus, pres-

sio superior. Et fit ventus super terram e loco pressionis superioris ad locum pressionis inferioris ut fiat aequilibrium.

(Quae facile imaginari possunt, si in conclavi clauso, candela comburitur. Nam flamma calida ascendit et aer combustus usque ad superiora pergit. Item circa candelam, aer frigidus aspiratur. Tandem per totum conclave fit circuitus aeris).

*Aeratio* est in atmosphaera nullo vento agitata motus aeris perpetuus. Nam calor solaris aerem penetrat nec multum calefacit, terram non penetrat, sed ita calefacit ut calor in aerem proximum diffundatur. Hinc fit ut stratura superiores atmosphaerae sint frigidissimae (usque ad -150°), stratura infima sit calida. Consequitur hoc quod aer superior perpetue descendit, inferior autem ascendit.

*Aurae Marinae*. In litore maris, fit ventus quasi perpetuus, plerumque levis. (Cujus refrigerium aestivantes otiosi quaerunt). Nam calor solis aliter mari recipitur, aliter solo. Sicut in arena statim et omnino reverberatur, in terra autem viridibus plantata absorbetur, ita in mari per diem penetrat et per noctem redditur. Hinc fiunt in litore maris ventus diurnus e mari, ventus autem nocturnus e terra.

*Procella* est ventus impetuosus. *Turbo* in se ipso rotatur.

*Nubes* e refrigeratione aeris humidi nascitur. Nam cum sol maria irradiat, aer ascendit calidus et humidus, i. e. cum vapore diffuso. Quod si haec massa aeris ad stratas frigidas ascendit vel super terras frigidas vento vehitur, fit *condensatio*, i. e. vapor in guttas revertitur. Quae guttae tam exiguae sunt ut vento facillime sustineantur, tam multae autem ut lumen solis obscurent.

*Nebula* nihil aliud est quam nubes usque ad terram descensa. Omnia madent absque pluvia. Matres pueris: «Claudite, aiunt, ora vestra ne gutturibus laboreti».

*Pluvia* ex praecipitatione nubium, i. e. si quae guttulae vento vel fulgure agitatae mutuo coalescunt in guttas quae vento jam non transferantur. Immo guttae descendentes guttulis sibi obviatis augentur.

*Nimbus* est pluvia subita guttarum magnarum aut ipsam nubem designat ex qua talis pluvia est timenda. Aliac species nubium sunt: *cirrus*, *cumulus*, *stratus*.

*Nix* ex nube gelata cadit diebus hiemis mitis. Agricolae nivem amant, qua terrae a gelu extremo proteguntur.

*Grando ex pluvia et nive et glacie in nube fulgurosa agitatis, plerumque diebus vernis. Per menses dubios, noli absque pallio pluviali spatiari.*

*Fulgur* est scintilla electridis e nube in terram vel in aliam nubem exsultans. Nam ex aeris translatione et frictione massarum nascentur differentiae electricae. Quod phaenomenon, cum ignoro, tempus est concludere.

CONCLUSIO. Nihil magis dubium quam tempestas crastina. De qua si paululum locutus eris, vicinis placebis. Quod si sermonem de hac re extenderis, sapientiam amittes.

## A R S L I R I C A

(rythme iambique)

*Pour joindre jusqu'à fusion  
La voix de l'homme et la lyre  
Accepte les règles de l'art  
Exerce-toi au renoncement.*

*L'absense du DO principal  
En supprimant pour l'oreille  
Tout fondement de musique  
Adresse les mots à l'esprit.*

*Etrange triton dissonnant  
Que fait le SI heurtant le FA  
Ajoute-lui pour tempérer  
Leur tierce RE et fais-les sonner*

*Soupèse chaque syllabe  
Et donne-lui l'écartement  
Qui absorbe sa vibration  
Sauf lorsque vient enfin le point.*

*Repose-toi par quatre fois  
D'abord le SI le FA et le RE  
Selon le hasard musical  
Enfin le point d'émotion.*

(dimeter iambicus)

*Ad fusionem aptissimam  
Vocis meae et tuae lyrae  
Hujus tene artis regulas  
Nec abnegationem odi.*

*Omissio C principis  
Longe auferendo ab auribus  
Omnem basem pro musica  
Sic verba menti dirigit.*

*Quam tritonus mire sonat  
Ex B atque F offendentibus.  
Addas eis ut temperes  
D tertium. Qui tres sonent.*

*Appende quamque syllaban  
Et dona eam distantiae  
Qua pereat vibratio  
Nisi venit tandem quies.*

*Quater quiesce per stropham..  
Prius, B, F, D in ordine  
Desiderantis musicae  
Tandem sonus motus tui.*

*Sur SOL triomphe. Plains le RE  
Interroge en MI. Avec le FA  
Soutiens l'espoir. Le SI, le LA  
Ne fourniront que du récit.*

*Mesure sur les mots le temps  
De chaque note et librement  
Le texte guidera le chant.  
Oh! irrégularité de l'art.*

Super G vince, Interroga  
Per E. Geme in D. Spem tuam  
In F cane. At B, a porrigent  
Narrationem immobilem.

Vox metiatur temporis  
Spatium notarum et liberum  
Dabit ducatum cantico.  
Oh! irregularia artium.

### PRO ANGELUS IN TEMPORE PASCHALI

Cum campanae multis in locis electrice moventur, nec programma electricum ad brevitatem illius REGINA CAELI accommodatur, orationem Marianam pro tempore Paschali composuimus in eadem forma ac longitudine quam illud ANGELVS.

Dum Joannes sepulchro currit, alleluia,  
Mater domi sperabat, alleluia.

Ave, Maria...

Non vidisti, sed credidisti, alleluia,  
Regina caeli laetare, alleluia.

Ave, Maria...

Nam quem meruisti portare, alleluia,  
Resurrexit sicut dixit, alleluia,

Ave, Maria...

Ora pro nobis Filium tuum, alleluia,  
Deum de Deo, per te Virgo, incarnatum, alleluia.

### OREMUS

Deus qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es, praesta, quaesumus, ut, per ejus Genetricem Virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

# B I B L I O G R A P H I A

KUMANIECKI, K. F. — *M. Tullius Cicero, Fasc. 3, De oratore.* Ed. B. G. Teubner, Leipzig, 1969. Pag. XI-412. 41'50 M.

Bibliotheca scriptorum graecorum et romanorum Teubneriana, de litteris classicis bene merita, novo volume augetur. Quod volumen praefatione initur (p. V-XXIV), qua clmus. Prof. K. F. Kumaniecki de codicibus dialogi Tulliani, cui index "De oratore", disertissime agit; quo facto, conspectus sequitur librorum seu editiones quae in apparatu critico memorantur (p. XXV-XXVI); memoratur quoque qui de codicibus scripserunt (p. XXVI-XXVII). Disputationum notitia perhibetur, quibus loci dialogi critice tractantur, prout in inferiore apparatus critici parte apparent (p. XXVIII-XXXIII). Disputationes etiam memorantur ad compositionem dialogi, ejus fontes, artem rhetorican, jus civile aliaque similia illustranda spectantes (p. XXXIII-XXXVIII). Sigla codicum, Sigla veterum editionum, Sigla quorundam saepius operum laudatorum (p. XXXVIII-XL).

Deinde textus latinus accuratissime typis mandatus appareat apparatu critico instructus (p. 1-362). Denique Index nominum (p. 363-375), Index verborum notabilium maxime ad rhetorican artem pertinentium (p. 376-412).

GEMOLL, W. - PETERS, J. — *Xenophontis institutio Cyri.* Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri, 1968. Pag. XXIII-471.

Quam Xenophontis institutionem

Cyri W. Gemoll ediderat, hujus denuo correctiorem editionem in aedibus B. G. Teubneri J. Peters impimentandam curavit.

Praefatione Guilel. Gemoll finita (p. IV-VIII), nova insequitur praefatio editionis correctioris, a J. Peters conscripta, novis de codicibus cognitionibus adhibitis papyrisque post priorem editionem a. 1912 ad textum emendandum utilissimis recenter inventis (p. IX-X). Conspectus librorum seu editiones (p. XI) et Commentationes (p. XII-XV) memorantur. Manu quasi ducuntur legentes summarii quae librorum VIII ad meliorem Xenophontis comprehensio- nem dantur (p. XVI-XXIII). Textus graecus apparatu critico illustratus pag. 1-453 occupat; volumen finitur indice nominum non nullisque addendis et corrigendis ad textum et ad apparatum criticum spectantibus.

Qui legerint nihil nobis est dubium quin magnum fructum ex volumine in aedibus Teubnerianis nuper edito percepturi sint.

CANFORA, L. — *Per la cronologia di Demostene.* Ed. Adriatica Editrice, Bari, 1968. Pag. 121. L. 2000.

Quaestionem aggreditur auctor de comparatione orationis "Quartae Philippicae" cum "De Chersoneso". Quae tamen Demosthenis orationes anno 341 a. Ch. ascribuntur. L. Canfora opinionem sequitur Quartam Philippicam non veram esse orationem sed quendam quasi centonem locorum seu fragmentorum quae pluribus annis adscribuntur.

Hac via procedit auctor: La "Quarta Philippica": un'orazione? (p. 7),

Complementi (1-13) (p. 39), Storia di "Sul Chersoneso" (p. 59), Complementi (14-17) (p. 89), Indizi sulla data del processo per la corona (p. 101), Indice analitico essenziale (p. 117).

D'AGOSTINO, V. — *M. Tullio Cicerone, Laelius de amicitia*, Società Editrice Internazionale, Torino, 1969. Pag. 172. L. 100.

Cum nostris temporibus sive a juvenibus sive ab aetate proiectis adeo colatur amicitia ejusque apud homines significatio, oportune ciceronianus liber "Laelius" ad nos pervenit a climo. latinitatis cultore amicoque nostro, Prof. V. D'Agostino, pro scholis editus.

In operis introductione (p. 5-34) scitissime, ut solet, agit auctor: 1. De aetate qua liber scriptus est. 2. De simulato tempore quo dialogus habitus est. 3. Quae in opusculo continentur. 4. Amicitiae significatio sensusque apud antiquos. 5. Quam opinionem de amicitia habuerint romani. 6. Quae fuerit morum conscientia temporibus ciceronianis. 7. Quam opportunum de amicitia agere. 8. Libri "de amicitia" fontes. 9. Cuinam dialogus destinetur. 10. Laelius. 11. Scipio Aemilianus. 12. Scaevola augur. 13. Fannius. 14. De dialogice rei tractandae ratione. 15. De opusculi defectibus ac laudibus. 16. Quanti nostra aetate "Laelius" aestimetur. 17. De operis codicibus.

Quibus tractatis, textus latinus insequitur (p. 27-172), quem auctor in partes seu capita dispergitur, prout Ciceronis cogitatio decurrit commen-tariisque illustrat —duplici columna distributis— ut qui legerit rem melius comprehendat. In notulis eruditio, scientia grammatica, historia cet.

eluent; quo liber Prof. V. D'Agostino omni ex parte omnibus commendatur.

INSTITUTUM ROMANIS STUDIIS PRO-  
VEHENDIS. — *Acta omnium gentium ac nationum conventus latinis litteris linguaeque fovendis*. Istituto di Studi Romani, Roma, 1968. Pag. 463.

Institutum Romanis Studiis provehendis Acta Conventus Romae de latinis lingua sermoneque a die XIV ad diem XVIII m. aprilis a. MDCCCCLXVI habitu, ad Palaestrae Latinae sedem misit eo tamen consilio ut lectoribus nostris nuntium notitiamque aliquam paeberemus. Quod libentissime facimus.

Primis paginis quibus memorantur nomina eorum qui sive Conventui interfuerunt sive ei sunt moderati dicatis (p. 9-34), praecipua voluminis pars disputationibus quae illis diebus habitae sunt, destinatur; quarum praecipuas tantum memoremus oportet: E. PARATORE, I problemi del latino in ordine alla fisionomia della civiltà moderna; R. SCHILLING, Quas rationes ad latinam linguam docendam hujus aetatis gentes in usu habeant potioresque ducant, praesertim Franco-galli; J. JIMENEZ DELGADO, C. M. F., De cultu latinae linguae apud Hispanos; C. KUMANIECKI, De eis quae intra hos sexaginta quinque nostri saeculi annos de literis latinis scripta sunt; G. DEVOTO, Gli studi di critica linguistica nel secolo XX; V. PALADINI, Quomodo latinae linguae divulgandae ii soverint qui his septuaginta annis opera sua latine conscripserunt; Card. A. BACCI, Quatenus possint hujus temporis inventa et exco-gitata latine significari; J. M. MIR, Qua ratione in latinum convertendae sunt voces technicae et quae ad dis-

ciplinarum studia spectant; J. KÁBRT, De studiis terminologiae latinae in Facultate Medica Universitatis Pragensis; R. BUSA, De lexico electronico latino.

Quae omnia aliaque memoratu digna valida exstant argumenta quantum ad litteras latinas fovendas contulerit Conventus Romiae habitus.

BOGAERT, R. — *Banques et banquiers dans les cités grecques*. Ed. A. W. Sijthoff, Leyde, 1968. Pag. 458. Fl. 57'50.

R. Bogaert hoc opere instituta argentaria investigat in urbibus graecis, Aegyptiis exceptis, a saeculo VI ante Christum natum usque ad initium saeculi III p. Chr.

Auctor tres et quinquaginta urbes ante oculos habens, negotia describit argentaria in templis, apud argentarios sive publicos sive privatos cet., fontibus in primis litterariis innexus atque litteris recentioribus. Altera pars voluminis continet summam quandam trium generum tabernarum argentariarum quae apud graecos in usu erant: templo, quae proprius argentariae tabernae sacrae vocabantur, argentaria privata et argentaria publica.

Opus cui index "Banques et banquiers dans les cités grecques" est, multum aestimamus contulisse ad historiam universam oeconomicam Graeciae describendam.

PERELLI, L. — *Storia della letteratura latina ad uso delle Scuole Medie Superiori*. Ed. Paravia, Torino, 1969. Pag. 416. Lire 2100.

L. Perelli, Prof. in Universitate Taurinorum, pulchrum utilemque edit librum ad historiam litterarum latinarum describendam pro alumnis Scholarum Mediarum Superiorum.

In tres partes auctor volumen dispergitur, quarum in prima parte "*Dalle origini alla fine del secolo II a. C.*" agit de originibus, de litterarum latinarum ortu, de progressu litterarum popularium usque ad doctas optimatiuum litteras, cet. In secunda parte: "*L'età di Cesare e di Augusto*" aetas Caesaris primum, deinde Augusti aetas tractantur. Tertia pars aetati imperiali ("*L'età imperiale*") dicatur, ubi haec argumenta attinguntur: Literae a Tiberio ad Claudium; litterae renascentes Nerone imperante; litterae sub Flaviis, Nerva, Trajano, Antonini; discrimin saec. III et initium litterarum latinarum christianarum; renascuntur litterae paganae saec. IV; litterae christianaee a saec. IV ad saec. V.

In fine operis summatim historia litterarum latinarum exponitur quo fit ut alumni aptius faciliusque rem teneant atque recordentur.

LANGLOTZ, E. - HIRMER, M. — *L'arte della Magna Grecia*. Ed. L'Erma di Bretschneider, Roma, 1968. Pag. 323.

Prof. E. Langlotz, peritissimus in antiquitate graeca archaeologus, qui quinquaginta annos et amplius in investigando impendit, Magnam Graeciam ejusque colonias graecas ostendit ditissimas antiquitatis monumentis ad archaeologiam graecam cognoscendam. Clarissimae illae urbes Paestum, Regium, Agrigentum, Tarentum, Syracusae earumque reliquiae quae in museis exstant, in opere Prof. Langlotz nova quasi vita resurgent ante machinam photographicam Prof. M. Hirmer qui pulcherrimas imagines lucis colorumque ope effinxit.

En tibi totius operis index: Prefazione (p. 7), Introduzione (9), Colonie greche (p. 9), Magna Grecia (p.

11), L'arte della Magna Grecia (p. 16), Problemi stilistici (p. 23), Architettura (p. 24), Pittura (p. 27), Coroplastica (p. 32), Scultura in bronzo (p. 36), Scultura in marmo (p. 40), Scultura in calcare (p. 44), Monete (p. 46), Evoluzione formale della scultura in Magna Grecia (p. 48), Note all'Introduzione (p. 73), Descrizione delle opere riprodotte (p. 247), Aggiunte alle descrizione delle tavole (p. 315), Indice delle opere riprodotte per località e musei (p. 320).

Monumentum sane aere perennius Prof. E. Langlotz et M. Hirmer exegерunt hoc maximi momenti opere. quod praeterire nequeunt qui Magnam Graeciam ejusque monumenta archaeologica graeca desiderant perlustrare.

**THEVENOT, E.** — *Divinités et sanctuaires de la Gaule*. Ed. Fayard, 1968, Paris. Pag. 245.

Antiquorum Gallorum religionem cognoscere maximopere interest, cum praecipua Galliae veteris significatio atque expressio videatur religio. Si textuum litterariorum inopia est atque penuria, abundantissimam materiam suppetet archaeologia. Qua clmus. Prof. E. Thévenot innixus investigavit antiquorum Galliae incolarum religionem cultusque, qui quasi primigenium substratum testificarentur; nam, si auctor romanorum deos recordatur, id eo facit consilio ut aliqua congruentia inter deum gallicum et deum romanum inveniatur, cum romanorum Galliae occupatio minime cultum gallicum et religionem penitus everterit. Quam plurima, quae memorentur, digna hoc volumine continentur: documentorum testimoniorumque soliditas, perspicuitas in exponendo, eruditio magna aliaque peritissimi investigatoris propria.

Quo fit ut liber —quamvis ratione scientifica conscriptus— ad omnis generis legentes facile accedat, qui jucundissime hoc ultimo E. Thévenot opere afficientur.

**MACDONELL, A. A.** — *Grammatica sanscrita elementare*. Casa Editrice Prof. Riccardo Pàtron, Bologna, 1968. Pag. 364.

Qui linguam sanscritam cognoscere velint, ad hoc opus legendum ultro invitamus. Maximo eis erit adjumento hic liber a clmo. viro A. A. Macdonell exaratus et in linguam italicam conversus a Prof. J. Bechis Universitatis Messanensis. In qua interpretatione exaranda magna fuit cura et observantia textus primigenii. Primum opus initium sumit introductione seu brevi grammaticae sanscritae historia (p. XI-XXII). Deinde septem capita ordine decurrunt: L'Alfabeto (p. 1), Combinazione eufonica, SANDHI (p. 13), Declinazione (p. 35), Coniugazione (p. 85), Parole indeclinabili (p. 139), Formazione dei temi nominali e composti (p. 155), Lineamenti di sintassi (p. 175). Denique appendices: Elencho di verbi (p. 211), Metrica del sanscrito classico (p. 239), Principali caratteristiche della grammatica vedica (p. 245). Indice generale (p. 353).

**HANTON, A. - PREAUX, L.** — *Tironum liber*. Maison d'Editions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1968. Pag. 264.

*Tironum liber*, qui alio indice "Liber manuales unus pro tironibus" subauditur, est cursus linguae latinae ad tenorem Ministerii Educationis Nationalis francogallici exaratus. Haec est novae methodi ratio: primum textus latinus, ubi vita cottidiana romanorum, religio, instituta ceteraque

describuntur per puerum puellamque Hadriano imperante.

Hi textus latini ad notiones et regulas grammaticas fundamentum praebent juxta frequentiorem usus indicem. Quod ad vocabularium spectat, Prof. Hanton et Préaux maxime curarunt a lexico M. Mathy non dedere, ut alumni pedetemptim sed tuto praecipua vocabula latina perdiscent ad scriptores intellegendos. Quam plurima quoque exercitia auctores alumni proponunt: versiones, themata, substitutiones, analysim, colloquia, exercitia cursiva et exercitia quae majorem mentis cogitationem expostulant. Plurimae imagines luce expressae atque depictae maximo erunt adjumento alumni ad vitam romanam ejusque instituta intellegenda. In fine libri elementa grammatica inveniuntur praecipua ordine usitato disposita, quo facilius alumni ea reperire atque repetere possint.

CHASSANG, A. - GEORGE, R. — *Syntaxe de ἄν.* Ed. Classiques Hachette.

Propositum in primis paedagogicum auctor hujus opusculi habuit: alumnos facere certiores de muneribus et usibus quibus in syntaxi graeca fungitur particula ἄν. Quam ob rem Prof. A. Chassang et R. George quam plurimas talis particulae difficultates ut expediant, hanc brevem sed utilem tractationem alumni destinant hac ratione ac via: Propositiones independentes cum particula ἄν (in optativo et indicativo); propositiones adjunctae seu dependentes cum ἄν. Regulae grammaticae exemplis scriptorum graecorum innituntur, quo facilius alumni rem intellegant. Opusculum pro scholis sermonis graeci cum discipulis tum magistris utilissimum.

WEINRICH, H. — *Estructura y función de los tiempos en el lenguaje.* Ed. Gredos, Madrid, 1968. Página 429.

Jam inde a primis, qui eam tradiderunt, grammatica quam plurimis variisque obnoxia fuit explicationibus. Quae magis minusve cohaerentes visae sunt. Haec in re grammatica congruentia re vera tam difficilis in operre II. Weinrich animos nostros in se convertit. Novis in re grammatica rationibus studens auctor negare audet categorias seu classes temporis verbalis quatenus cum tempore chronologico congruit, nam H. Weinrich categorias veteres atque usitatas temporis, modi, adspectus parvi pendit, cum ipse contra per harum categoriarum negationem ad omnino novam rationem in tractando sermone pervenit: tempora scilicet distinguens ad commentandum et tempora ad narrandum.

Quae tamen nullam haberent auctoritatem, nisi H. Weinrich mira congruentia ac rationibus ea corroboraret, quam plurima testimonia et exempla scriptorum adhibens.

Omne tulit quoque punctum, cum praeterquam novam scientificamque rationem in explicandis temporibus assecutus est, amoenissimus —quod raro fieri solet— in argumento grammatico tractando evaserit.

MOUNIN, G. — *Historia de la Lingüística desde los orígenes al siglo XX.* Ed. Biblioteca Románica Hispánica. Gredos, Madrid, 1968. Pág. 235.

Jam diu vehementer desiderabatur historia quaedam scientiae linguarum, recentior, ut ita dicam, nam opus Thomsen fere septuaginta abhinc annis obsolefiebat. Ideo Prof. G. Mou-

nin hanc explevit lacunam investigans ratione ac via plane hodierna quidquid in dicionem linguisticae jam inde a longinqua antiquitate collatum est. Non nullis de sermone praehistorico notionibus factis, aegyptios, sumerios, acadios, veteres sinenses, indos, phoenices, hebraeos, graecos, romanos primo operis capite lustrat.

Alterum caput Medio Aevo destinatur; tertium caput recentioribus temporibus a saeculo XV usque ad XVIII; quartum caput doctrinae linguisticae saec. XIX; ultimum capite maxime in re exempla saec. XX —Saussure et Whitney— summatim adumbrantur. Hoc opere praincipuae rationes explicationesque processus linguistici continentur atque pendentur. Unniquodque caput abundantibibliographia illustratur. Paucis verbis: opus valde utile aestimandum iis praesertim qui ad hanc miram linguisticae dicionem ingrediendam sese conferre velint.

BOWRA, C. M. — *Introducción a la literatura griega*. Ediciones Guadarrama, Madrid, 1968. Pág. 411.

Prof. C. M. Bowra scholasticos Universitatum eosque praesertim, qui cognitionem nancisci volunt magnitudinis litterarum graecarum, hoc opere alloquitur; rei tamen peritus inventiet quoque quam plurima nova atque utilia.

Liber non est proprie introductio stricto sensu sumpta, sed praincipiarum linearum in litteris graecis adumbratio: prooemium et decem capita, ubi de carminibus epicis, de hymnis homericis, de Hesiodo et primaevis poetis lyricis, de poesi melica, de tragœdia, de mytho ac scientia, de commoedia tanquam medicina, de philosophia, de arte oratoria, ceterisque

maximi momenti argumentis eruditissime agitur.

Maxima auctoris in rebus helenicis eruditio universos ei campos cum historiae tum litterarum peragrandi protestatem facit, ita ut lector non tantum scientificis rationibus sed etiam dicendi amoenitate sensuque artistico in re exponenda vehementer delectetur.

VIAN, F. — *Quintus de Smyrne, La suite d'Homère, tome III, livres X-XIV*. Ed. Les Belles Lettres, Paris, 1969. Pag. 278.

Hoc volumine quo bibliotheca, cui index "Les Belles Lettres", locupletatur, libri X-XIV operis Quinti Smyrnae continentur; textum graecum curavit atque in gallicum sermonem convertit F. Vian, clmus. in Universitate Lutetiae Parisiorum Professor.

Praeter francogallicam interpretationem, quae nobis castigata videtur, unicuique libro ponderosa argumenti notitia praedit, textus apparatu critico instruitur notulisque illustratur. Si vis, en tibi quinque librorum index: *Livre X*: La mort de Pâris (p. 1). *Livre XI*: Les exploits d'Enée (p. 37) *Livre XII*: Le cheval de Troie (p. 69). *Livre XIII*: Le sac de Troie (p. 115). *Livre XIV*: Le retour des Achéens (p. 153). Volumen explicit annotationibus additiciis ad omnes libros (p. 206) et indice nominum (p. 237-278).

AUJAC, G. - LASSFRRE, F. — *Sparta, Géographie, tome I, 1re partie*. Pag. XCVII-222; *tome II, 2e partie*. Pag. 197. Ed. "Les Belles Lettres", Paris, 1969.

Primum volumen, quod communis opera est exaratum, scitissimam of-

Ierit introductionem a G. Aujac et a F. Lasserre conscriptam primumque Strabonis librum gallice a G. Aujac conversum. Uterque Professor opus perfectum absolutumque obtinuerunt.

Quod ad introductionem spectat, haec notanda lectoribus significamus: I. *De Strabonis vita* (p. VII-XXIII): nobili familia natus; quae fuerit graecorum cultura et studia; Augusti aequalis; Strabo, philosophia stoicorum imbutus. II. *Strabonis opus* (p. XXIV-XLVII): quid sibi proposuerit in exaranda *Geographia*: ubi et quando conscripsert opus; Strabonis itinera et fontes; quae in *Geographia* contineantur. III. *De Strabonis textu* (p. XLVIII-LXXXI): de codicibus ejusque fortuna usque ad archetypum manu scriptorum medii aevi, de archetypo, de manu scriptis medii aevi. IV. *De hujus editionis indole* (p. LXXXII-XCVII): plures quaestiones de lingua, de dicendi genere, de rebus geographicis historicosque, de editoris munere et officio, de archetypo iterum instaurando, de textu corrigendo atque emendando ceterisque.

Postea per ampla ac diserta insequitur notitia duorum primorum librorum Strabonis, ubi de "Prolegomenis" agitur, de auctore, de geographia temporibus Strabonis, de "Prolegomenorum" fontibus, bibliographia cet.

A pagina 63 usque ad 175 dupli columnna decurrit textus Strabonis typis graecis mandatus breveque apparatus critico instructus et vernacule a G. Aujac conversus.

Alterum volumen librum secundum Strabonis continet, cuius interpres etiam Prof. G. Aujac exstat. Utrumque volumen finiuntur annotationibus additiciis, quibus adjicitur in secundo volumine lexicon verborum tech-

niorum, non nullaeque chartae geographicae.

ROMANIETTO, G. — "Il dialogus de oratoribus" nella definitiva soluzione della "Vexata quaestio". Editrice Ciranna, Roma, 1968. Pag. 77.

Qui alternas vices historiae philologicae "Dialogi de oratoribus" cognoscet, facile meminisse licet quot argumenta eaque "certissima ac probatissima" coacervata sint sive ad ne-gandum sive ad adscribendum opuscolum stirpi tacitiana. Hujus investigationis auctor, J. Romaniello, defendere contendit quam vanum sit argumenta inquirere absoluta quibus demonstrari possit nullam partem in Dialogo Tacitum habuisse. At ipse contra, postquam opiniones de manu scriptis traditas ope archetypi in Monasterio Hersfeldensi inventi retrac-tavit, aestimavit unum Tacitum "Dialogi de oratibus" scriptorem fuisse.

GIL, L. — *Therapeia. La medicina popular en el mundo clásico*. Ed. Guadarrama, Madrid, 1969. Pági-nas 558.

Qui hujus voluminis momentum auctoritatemque perspectam habere cupiat, legat, quae, verba illa qui-bus claus. medicus et humanarum litterarum cultor, Petrus Lain Entralgo, prooemium absolvit: "Cum plane, quae nunc dicam, sciam, asserere ipse audeo de argumeto ab auctore tractato nihil aliud esse in uni-versa bibliographia, quod huic operi comparari possit".

Etenim opus omni laude dignissi-mum exaravit Prof. L. Gil, Philolo-giae graecae in Universitate Matritensi Professor. Densissimae illae 558 paginae eruditione et scientia medica classicaeque antiquitatis cognitione

refertae id probant. Aliquam operis notitiam indicem sequentes lectoribus praebeamus. *Prima pars*: Morbus, societas, homo. *Secunda pars*: Medici, "iatromanteis", "divini". *Pars tertia*: Morbus ejusque sanatio in mythologia graeca. *Quarta pars*: De contagione. *Quinta pars*: Ars medicina et medicamentaria epodica. *Sexta pars*: Morbus seu daemonum possessio. *Pars septima*: Ars medicina ad morbos depellendos. *Octava pars*: Sacra Asclepii medicina. *Pars nona*: "Iatromathematica" seu medicina astrologica. Index veterum scriptorum, index rerum nominumque, index imaginum luce expressarum utilissimum reddunt volumen.

ALLARD, J. - RENAUD, J. — *Auteurs latins*. Classe de quatrième. Hachette, Paris, 1968.

Et magistri et alumni magni habebunt opus Prof. J. Allard et J. Renaud, quo excerpta ex optimis scriptoribus latinis pro scholis redigerunt. Non nulla "De viris illustribus urbis Romae" a Lhomond scripta, non nulla quoque Ciceronis, Caesaris, Ovidii, Petronii, Martialis, Q. Curtii.

Alumni in primis francogallici, quibus praesertim opus destinatur, magnopere gaudebunt cum Caesarem exercitus romani ducem cum fortissimis militibus ducibusque gallis proeliantem videant utriusque exercitus cum romani tum galli virtutes demirentur.

AGNES, L. — *Cicerone, Pro Archia*. Ed. Paravia, Torino, 1969. Pag. 57. Lire 800.

Prof. Leopoldus Agnès opusculum alumnis praebet quo manū ducantur in pulcherrimam Ciceronis pro Archia

orationem ingrediendam. Primum obviam legenti venit introductio, ubi scitissime agitur de Archia poeta ejusque quaestione judiciali. Deinde orationis textus insequitur notulis de re grammatica, historica, stilistica, cet. illustratus. Denique non nullae paginae selectae ad majorem argumenti comprehensionem alumnis legendae praebentur a peritissimis viris conscriptae: de aetate hellenistica (A. Rostagni), de epigrammate (M. Polletto), de poetis alexandrinis poetisque qui "novi" vocantur (A. Rostagni), de Lucullo (Plutarcus), de Cicerone et Pompeio (M. Maffii).

TILMONT, J. - DE ROECK, M. — *Atlas classique*. Maison d'Editions Ad. Wesmael-Charlier, S. A., Namur, 1968.

Prof. J. Tilmont et M. De Roeck opus, cui est index "Atlas classique", pro scholis confecerunt ad geographiam ediscendam.

Non nullis imaginibus de hemisphaerii caelestis situ, geographiae mathematicae atque cosmographiae expositis, auctores agunt de terrae figura, de caeli natura atque statu, de virentibus terrae locis, de hominum per orbem distributione, de ethnographia, de cerealibus ac fodinis, de geographia oeconomica; postea Europam describendam aggrediuntur et dum aliquas tantum laminas reliquis nationibus europaeis, Belgio tamen auctores viginti quinque tribuunt, ubi fuse plures omne genus adspectus geographici Belgii prostant, utpote alumnis praesertim belgis opere destinato. Reliquae orbis nationes geographice describuntur. Opus indice nonum locorumque utilius redditur; qui index post centum viginti octo laminas coloribus congruentibus illustratas appetat.

LARSEN, J. A. O. — *Greek Federal States*. Their Institutions and History. Ed. Clarendon Press, Oxford, 1968. Pag. XXVIII-535. 90s net.

J. A. O. Larsen hoc maximi momenti opere regimen atque instituta civitatum Graeciae foederatarum describere, quantum contulerint ad commercium humanum singulæ civitatis quibusque simultatibus inter se affectae sint significare contendit. In prooemio de civitatis foederatae natura agitur. Postea res cujusque civitatis peculiares describuntur documentis historicis illustratae. Legenti opus evidens erit quantum contenderit auctor praeterire res ex historia graeca jam cognitas, iis duntaxat rebus studens quae saepe ignorantur vel minus notae videntur. Ultimo operis capite, cui index est "The federal stables between Macedonia and Rome", Prof. Larsen de amplificando imperio romano quoque fuse accurateque agit. Quam maxima auctori habendae gratiae sunt propter selectam bibliographiam, per amplum indicem universum, vocabulorum technicorum explicationem fontiumque litterariorum atque historicorum luculentissimam mentionem.

MORRIS, S. — *A programmed latin course, Part 2*. Ed. Methuen, London, 1968. Pag. 304. Price: 30s net.

In hac grammaticae latinae parte secunda elementorum syntacticorum fundamenta jicit Prof. S. Morris et unoquoque capite brevi textu latino et vocabulorum indice innixus seriem interrogationum proponit et locutiones truncas seu imperfectas alumnis perficiendas, qui vera aut errata sua responsa comprobare poterunt partem paginae dextram consulendo. Exercitiis perfectis, praecipua fragmenti

grammatica accurate explorantur et in extremo capite et lexicon et grammaticae regulæ sedule repetuntur.

Hanc novam Prof. S. Morris viam ac rationem tradendi linguam latinam valde alumnos excitantem aestimamus atque probamus; imagines depictae quae in opere prostant festivo sale conspersae ("omne tulit punctum qui miscuit utile dulei") pueris in deliciis erunt.

MAGNAN, J. M. — *Cocteau*. Les écrivants devant Dieu. Ed. Desclée de Brouwer, Bruges, 1969. Pag. 187. 66 fr.

Hac collectione officina libraria intendit quam accuratissime describere per scripta eorumque vitam, quo modo sese clarissimi scriptores habuerint erga Deum religionemque. M. M. Magnan, J. Cocteau vita fragmentis ex operibus ipsius excerptis descripta, viam spiritualem reficit: ex conscientia —quam habet poeta— sibi solvendum esse pretium operis quod perfecit, J. Cocteau in persuassionem venit hujus modi opus minime a se tantummodo oriri sed "aliquem" adesse qui operi certe adflet. En vetus inspirationis quaestio, quae apud J. Cocteau raram induit vestem "angelii" illius seu nuntii ab "aliquo" missi. Quisnam tamen mittit? Et J. Cocteau diu varia responsa temptavit: primum religionis christianaee J. Maritain duce, Max Jacob adjuvante. Sed dogmatibus christianis nimis —ita ipse sentiebat— coangustatus impeditus est ne ad veram conversionem accederet. Tunc ad veteres confudit mythologias, ad cabbalisticas doctrinas, ad privatam quandam religionem, ad cultum cuiusdam "Dominii" ignoti cuius appellacionem imo percipit corde postuniisque operibus sive scriptis sive picturis repetit, illis

vel diebus quibus aediculas sacras pulcherrimis imaginibus pictis decorabat...

BABIN, P. — *Amistad*. Edit. Marova, Madrid, 1968. Pág. 141 y 55.

BABIN, P. — *Pureza*. Edit. Marova, Madrid, 1968. Pág. 160 y 65.

IMBERDIS, P. — *Puntos de vista de los jóvenes*. Edit. Marova, Madrid, 1968. Pág. 104.

Sociorum corona Internationalis Catecheseos Adolescentium qua e "MUNDO Y FE" inscribitur, hos edidit fasciculos eo proposito ut Verbum Dei, id est, Bonus Salutis Nuntius, ad nostrae aetatis adolescentes perveniat, qui praestantiam atque excellentiam hujus mundi magnis itineribus progredientis vehementer demirantur. Unde in Verbo Dei exponendo triplex fidei genus requiritur: primum fides in Dei Verbum per doctrinae renovationem in praedicando Regno Domini tamquam Laetitia, Vita, Plenitudine; deinde fides in mundum cuius creator exstitit Deus cùjusque progressus in universam hominum communionem protenditur omnibus finibus inter nationes superatis; fides denique in juvenes quos et alioqui necesse est eorumdem sermone et adjuvare ad incepta communia atque ad fidem vitamque pro Christo oppignerandam.

His praelibatis ad singulos accedamus fasciculos. Fasciculo qui "AMISTAD" inscribitur his quaesitis responsa dantur: Quid juvenes de amicitia sentiunt? Quid mihi adolescenti contingit? Quid de amicitia mea dicam? Ecquid in amicitia nostra Deus? Potestne Christus noster esse amicus? Omnis amicitia in cassum cadit?

Fasciculo cui index "PUREZA" hae tractantur: Quid juvenes de castitate sentiant. Miranda castitatis re-

velatio. Quousque in hac re pervenire licet? Quo modo num castus sim cognoscam? Quibus condicionibus puella caste amare potest? Ama et fac quod vis!

"PUNTOS DE VISTA DE LOS JOVENES" qui inscribitur fasciculus utile erit ei adminiculum qui tractare coram adolescentibus hasce velit quaestiones: pecuniam, futurum tempus, beatitudinem, Christum, corpus, dialogum, Ecclesiam, eventus, fidem, animi relaxationes, libertatem, matrimonium, sacerdotium, puerorum puerarumque necessitudines, poenitentiam vitae significationem.

Fasciculos omnes quos recensem in codicilos dividuntur, quorum alii institutoribus, alii discipulis destinantur. Rerum tractatio semper e vita exsurgit vitaque enutritur; quo fit ut nuntius sacer magis juvenibus accommodetur.

MOSQUERO, M. — *Ejercicios Espirituales*. Vol. I: Meditaciones. Página 382. Vol. II: Pláticas. Página 323. Ed. Studium, Madrid, 1969.

Iis in primis sacerdotibus, qui Exercitationibus Ignatianis moderari debent, per utilia erunt haec duo P. Mosquero, S. J., volumina. Primo libro meditationes continentur per dies octo secessus spiritualis distributae. Altero libro magna rerum spirituallium copia offertur ad sermocinandum de praecipuis documentis ac doctrina Exercitorum Ignatianorum, de virtutibus christianis, de vita sacerdotali ac religiosa, de sacra eucharistia, de argumentis paraliturgicis.

Magna rerum materiarumque copia, summa in exponendo perspicuitate, simplici sinceraque animi unctione nova P. Mosquero, S. J. opera commendantur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# B I B L I O G R A P H I A

BAEIN, P. — *Los jóvenes y la fe*,  
Ed. Herder, Barcelona, 1962. Pág.  
276. 85 ptas.

BABIN, P. — *Dios y el adolescente*.  
Edit. Herder, Barcelona, 1965.  
Pág. 308, 135 ptas.

Nimis cognitum in institutione religiosa adulescentium nomen P. Petri Babin videtur quam ut ad Palaestrae lectores producamus; ejus enim opera notissima utilissimaque toto sunt orbe terrarum pervulgata. "Los jóvenes y la fe", quod primum horum librorum recensendum curamus, fructus est quasi maturus coctusque experientiae atque cogitationis plurimorum annorum. Opus etenim, a multis paedagogiae religiosae peritis communi opera laborantibus est conscriptum. De quaestionibus tanti momenti ad vitam juvenum religiosam: "Quinan est hominis novus conspectus? Quo pacto fidei actus in adulescentibus inesse potest? Quo modo fides vitae religiosae aptatur?", P. Petrus Babin prudenter riteque nodum expedit difficillima arguenda enodando.

"Dios y el adolescente" qui inscribitur liber est alterum P. P. Babin opus nobis nunc quoque recensendum. Ut quid de Deo sentirent adulescentes investigaretur, amplissima inter juventutem inquisitio facta est, cui duo milia juvenum omne genus, aetatem, classem sexumque dederunt responsa. Quibus datis responsis perspicuum est quibus sit Deus quem imo corde adulescentes nostri colunt,

quam conscientiam — habeant — Illius quem adire oratione volunt, qualem imaginem sibi effingant Patris a Jesu Christo hominibus revelati, quo modo in cognoscendo Deo juvenes progrediantur prout infantiam ipsi derelinquent. Parentes, professores, sacerdotes omnesque adulescentium institutores, qui quoque modo in eorum conformationem incumbunt, maximum hoc opere adminiculum habebunt.

FATTINGER, J. — *Término y Camino*. Pláticas catequéticas según el "Catecismo Católico". Edit. Herder, 1965, Barcelona. Pág. 384. 190 pesetas.

Plane perspicuum est atque demonstratum praedicationem optimam omnium esse catechesim, namque in institutionem religiosam spiritualem quamdam infundit unctionem qua religionis scholae ab aliis omnibus differunt in collegiis. Unde hoc volumen quo allocutiones colliguntur sermoni dicendique generi accommodatae "Catechismi Catholici" qui vulgo dicitur; quibus allocutionibus antiquarum catechesum errorem vitare contenditur, cum multum pueros erudirent sed parum educarent.

Propositum auctoris hoc est quod et sacerdotibus et christianaе doctrinae institutoribus et sacris praeconibus argumenta adeo commodantur atque praehentur, ut si quis allocutionem ipse complere velit, ad proprios Catechismi Catholici locos revocetur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

## EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium ... ... ... ... ... ... ... ... ptis. 70

» De Orthographia latina (altera editio). » 20

PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio). » 100

### «TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, Historiae Sacrae compendium (5 edit.). ptis. 12

» Epitome Historiae Graecae (6 edit.) ... » 12

RAMOS, Corneli Nepotis Vitae ... ... ... ... ... » 12

MIR, Ciceronis epistulae selectae (2 edit.) ... ... » 14

JIMÉNEZ, Ciceronis pro Archia poëta (2 edit.) ... » 12

» Ciceronis in Catilinam (2 edit.) ... ... » 12

RAMOS, Ciceronis pro Q. Ligario oratio ... ... » 12

MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.) ... ... » 16

MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.) ... ... » 12

SARMIENTO, Martialis Epigrammata ... ... ... ... » 10

ZULOAGA, Horati Carmina Selecta ... ... ... ... » 14

RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I) ... ... ... ... » 14

RAMOS, Xenophontis Anabasis ... ... ... ... » 12

## Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)

166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI

167 Polibi - Historia (vol. II). Llibres XI - XII.

168 Xenofont - L'expedició dels deu mil (vol. I).  
Llibres I - III.

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA